

8598  
H. Gevi

**DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O IN AVGVRALIS  
DE  
SACRORVM CHRISTI-  
ANORVM IN CIMBRIA  
PRIMORDIIS,  
QVAM,  
DIVINO NVMINE ANNVENTE,  
AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORVM  
BENEVOLE CONSENTIENTE,  
PRAESIDE  
VIRO AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO  
PHILIPPO FRIDERICO HANE,  
HISTORIAE ECCLES. ET PROFANAЕ PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO,  
PRO SVMMIS PHILOSOPHICIS HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS, ET FINITA DISPVATATIO-  
NE IN SE CONFERENDIS, IN ACADEMIA  
CIMBRICA,  
DIE XV. SEPTEMBR. AB HORA IX.  
SOLEMNI ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**CHRISTIANVS KORTHOLTVS,**  
KILONIENSIS HOLSATVS.**

---

LITTERIS VIDVAE B. IO. CHRIST. REV'HERI, ACAD. TTPOGR.  
CIO 13CC XXVIII.

Sax. Inf. Vol. xi. Holsat. 6.

ist. Holsat.

115, 16



ALIO TANDEM CONSILII  
AMICITIAE

VIR O  
VIRTUTE, DOCTRINA, ET RERVM  
GERENDARVM PRVDENTIA  
PRAECELLENTISSIMO,

DOMINO  
GEORGIO HENRICO  
GERCKENIO,

A LIBELLIS SECRETIORIBVS LIBERAЕ IM-  
PERIAL. REIPUBLICÆ LVBECENSIS,

PATRONO ATQVE FAVTORI  
SVO OMNI HONORE ET  
OBSERVANTIA COLENDО.

VIR CONSULTISSIME, ATQVE  
DOCTISSIME,

PATRONE PRAECEPVE  
HONORANDE,

ОИГМОД  
ООИГИЕИ ГОЮЯВО  
ОИМЕХОЯ  
ГЕРЮХОЯ



*ropius cum DEO coniuncta sci-  
entiarum princeps et regina o-  
mnibus profanis longe antecel-  
lit, et nullae non disciplinae hu-  
manae, quamuis ad omnium apicem quis  
adspiret, praे illa mera sunt tirocinia. Quo-  
circa*

circa sanctorum litterarum dignitate com-  
motus, et exemplo pie defuncti Aui mei, Aca-  
demiae huius Pro-Cancellarii et Theologi  
primarii, prouocatus, ultiro et sponte coepi  
Theologiae me constringendum tradere.  
Multo autem libentius et ulacrius eamdem  
amplector, legibus et sanctionibus stipen-  
dii, quo fruor, Schabbeliani, nouis quasi  
vinculis ad id deuinctus. Quod quidem il-  
lustre beneficium quum TIBI soli acceptum  
referam, **PATRONORVM CERTISSI-**  
**ME**, ut desiderio atque exspectationi Tuae  
mea congruat industria, utque omne inge-  
nium et studium ad diuinioris veritatis in-  
terpretes et internuntios conuertam, nihil  
contentionis mibi reliquum facio. Hinc e-  
nata disquisitio de sacrorum Christianorum  
in Cimbria nostra primordiis. Quam sat  
clara luce mibi non licuit perfundere, quod  
in historia primorum saeculorum nonnum-  
quam paullo obscuriore, sine offendisionis at-

que prolapcionis periculo tuto progredi vix  
possimus. Huc accedit, quod exiguo tem-  
poris spatio, quod ad elaborandam disputa-  
tionem auspicii caussa habendam mibi praes-  
scripsi, omnia et singula buc facientia docu-  
menta consulere integrum non fuit. Sumo  
tamen hoc mibi, fretus constantia beneuo-  
lentiae Tuae incredibilis, ut opellam hanc  
qualemcumque ante eruditos oculos Tuos,  
**VIR PRAECELLENTISSIME**, expo-  
nam. Cui enim potiori iure consecranda est,  
quam **TIBI**, qui occasionem illi aperuisti  
cobortatione Tua perbenigna, ut prius quam  
Kilonio vale dicerem, in Academia hac pa-  
tria, confessione amplissimi ordinis Philoso-  
phici, doctoris philosophiae honores modeste  
ambirem. Non possum quin paream man-  
dato Tuo, atque hac occasione benefacta  
Tua, et humanitatis summae mibi praestita  
officia exquisitissima pro virili collocem in  
luce. Etsi enim promeritorum decorumque  
Tuo-

Tuorum maximorum amplificator esse non  
queo, velim tamen conseruator audire, et  
propagator. Si beneficia, secundum Tullium,  
meminisse debet is in quem collata sunt, pri-  
uatim non debo missitare amoris, quo me  
indulgentissime prosequeris, prolixa experi-  
menta, et in iuuandis commodis meis, vo-  
tisque cognoscendis solicitudinem prorsus  
omnino singularem. Quam quum non solum  
Lubecae mibi coram nuper significaueris,  
sed etiam idem idem declararis absens, da-  
tis ad me litteris, quibus nihil fingi et ex-  
cogitari amantius potest; benevolentiam  
hanc Tuam plane insignem et summam,  
ambabus, ut aiunt, manibus amplector.  
Quumque non suffragatorio et breui, sed fir-  
mo et perpetuo studio me digneris, constan-  
tis etiam in TE obsequii laudem me ambire,  
animumque memorem in bene meritum praef-  
stare oportet. Quo quidem officio melius de-  
fungi nequeo, quam si DEO supplicem, ut  
illu-

*illustre et consulare genus Tuum fulgentissimo litterarum virtutumque splendore illustrare, cultissimique ingenii ornamentis patriae Reipublicae Lubecensi, et splendidissimae familiae Tuae, ac mibi, si hoc addere fas est, prodeesse possis quam diutissime.*

**TVI,**

**VIR CONSULTISSIME ET  
ERUDITISSIME,  
FAVTOR AC PATRONE IN-  
SIGNITER SVSPICIENDE,**

**Kilonii d. XIV. Septembr.**

**AD DCC XXVIII.**

*obseruantissimus*  
**CHRISTIANVS KORTHOLTVS.**

## PROOEMIUM.

Σύνοψις.

§. I. Instituti occasio.

§. II. Cimbriacae vocis explicatio.

§. III. Tractationis ordo.

§. I.



nno proxime praeterito festiue aeturus annum saecularem septimum et vigesimum, et in memoriam nobis re iocaturus Cimbriam assertore libertatis Christianae DEO, suffragatoribus Principibus, ministerio LVTHERI Herois caelestis, aliorumque bellatorum sanctorum, iugo et carceri Iouis Vaticani pari fortitudine et felicitate exemptam; verba publice faciebam de Sacris Cimbricis duobus abhinc saeculis insigniter emendatis. Quocirca haud ab re erit nunc rimari, quomodo sacra illa, quae ad pristinum statum et antiquum splendorem id temporis redire, maioribus nostris primum sint tradita et in hisce locis propagata? Ut hoc quoque saxum voluerem stimulos et calcaria mihi addidit vir Magnificus HENRICVS MVHLIVS, Academiae huius Cimbricac Pro-Cancellarius, eiusdemque et ecclesiarum nostrarum Theologus primarius, studiorum meorum insigniter colendus adiutor. Quibus cohortationibus excitatus nullas partes meas desiderari patiar, vt e monumentis tam vulgatis, quam manu exaratis, quorum quidem mihi copia est, primordia sanctorum Christianorum in Cimbria breuiter strictimque recenseam, aut minimum quomodocunque delibem. Quid enim plus confert ad benignitatem summi Numinis prorsus omnino singularem ex momento suo ponderandam, quam recensio beneficiorum omnibus utique aliis praferendorum, quae nobis in tradendis

A

Chri-

Christianaे religionis principiis salubriter tribuit? Quid officio nostro conuenientius esse potest, quam grata recordatione huiuscemodi benefacta pro virili parte velle praedicare? Quae quidem recognitio rei Christianae ab exiguis initiis hoc loco crescentis non potest non propagare et amplificare laudes mansuetudinis facilitatis atque lenitudinis infinitae DEI O. M. qui per mille propemodum annos id egit, ut a superstitione paganorum abducerentur animi maiorum nostrorum, et ad sanctiorem de IESV CHRISTO cognitionem truducerentur.

## §. II.

Prius autem quam ad rem ipsam accedam, quid per Cimbriam intelligam, verbo mihi explicandum est. Non solum veteres Geographi hoc nomine indicabant totam illam peninsulam, quae ab Albi ad promontorium Iutiae Scagense porrigitur, verum etiam inter recentiores scriptores TROGIL-LVS ARNKIELIVS Cimbriae vocem tam late accipit, ut non Saxones solum universos tam Suderalbingos quam Nordalbingos, Fresos et septentrionis et orientis; sed et Danos, Norwegos, Suecos, Islandos, Grönlandos aliosque hoc nomine comprehendat. (a) Tantum autem abest ut nimis generali hoc sensu de Cimbria loquar, ut potius per hanc vocem dumtaxat indicem atque innuam utrumque Ducatum Slesuicensem et Holsaticum. Illi enim Ducatus coniunctim hodierno loquendi usu Cimbria appellantur. (b) Id temporis, quem Christiana religio in hosce Ducatus introduceretur, diversa plane erant harum regionum nomina aliaeque terrarum divisiones. A CHRISTO nato ad quintum usque saeculum Saxones dicebantur, qui totam Holsatiam, si a Wagria discesseris, tenebant. (c) Angli appellabantur incolae vniuersi propemodum Slesuicensis Ducatus. (d) Nordfresi tenebant

Hel-

Helgolandiam. (e) Quae quidem insula multae maioris tum temporis amplitudinis Fostelandia audiebat, ob praecipuum idolum quod ciues inibi venerabantur. (f) Ad Vandaliam Wagria pertinebat. (g) Saeculo autem quinto quum Saxones sedes Francorum, Angli Britanniam occuparent: (h) lutae Anglorum regionis partem sibi vindicarunt, Anglorum nomine deleto, vt peninsula illa, quae Flensburgum et Sliam inter iacet, sola Angliae retinuerit nomen. (i) At Nordfresi, qui hucusque solam tenuerant Helgolandiam, sub suam potestatem redigebant partem Slesvicensis Ducatus quae ad occidentem spectat. (k) Praeterea Saxonibus in locis a se occupatis late se diffundentibus, vsu venit, vt in Suderalbingos et Nordalbingos diuiderentur. Habitatores Ducatus Holstiani Nordalbingos dicebant Saxones, (l) quos in Sturmarios, Holzatos et Thetmarzos dispertiebant. (m) Quae quidem breuiter praemonenda duxi, vt in locorum notatione faciem praeferre possint. (n)

(a) M. Trog. Arnkiel in libro cuius index: der ubralten Mitternächtischen Völker Leben, Thaten und Bekehrung, Parte IV. vbi de Cimbrica paganorum conversione agit.

(b) Io. Möller I<sup>s</sup>agog. ad Histor. Chersonesi Cimbricae P. I. cap. I. p. 2.

(c) Casp. Danckwerthi Landesbeschreibung der zwei Herzogthümer Schleswig und Holstein. P. III. cap. I. p. 160.

(d) Ita enim refert Ethelwerdus antiquus auctor a Cambdeno et Pontano citatus. "Anglia vetus, inquit, sita est inter Saxones et Gioras, habens oppidum capitale, quod sermone saxonico Sleswick, secundum Danos vero Haitbuy dicitur." conf. Thorm. Torfaei series dynastiarum et Regum Daniae lib. II. cap. I. p. 88.

(e) Danckwerth. l. c. p. 90.

(f) Io. Mollerus l. c. P. II. cap. II. §. 3. p. 16.

(g) Danckwerth. l. c. p. 197.

(h) Io. Iac. Mascou, ingens Lipsiae ornementum, in libro cuius index: Geschichte der Teutschen lib. IX. §. 34. seq. p. 441. seq.

(i) Danckwerth. l. c. p. 125.

A 2

(k) Heim-

- (k) *Heimreich Nordfriesische Chronick.* p. 47. seq. edit. in 12mo.  
 (l) *Albertus Crantzius lib. 2. Saxon. cap. 2.*  
 (m) *M. Adami Bremensis Hist. Ecclesiast. lib. II. cap. VIII. p. m. 18.*  
 (n) *conf. venerandi Valent. Ernesti Löschneri Historie der Mittlern-Zeit-*  
*ten, p. 197 et 205. ubi faciem Germaniae aquilonaris mappa geo-*  
*graphicā curate exponit.*

### S. III.

Ceterum ad ipsius tractationis rationem quod attinet, ordinem chronologicum sequimur, et ob epochas maxime insignes in duas partes dissertationem diuidimus. Capite primo de introductione religionis Christianae in hisce locis varie tentata agimus, capite altero quomodo eadem a Cimbris fit recepta ordine exposituri.

## CAPUT PRIMUM.

### DE INTRODVCTIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE APVD CIMBROS VARIE TENTATA.

Σένος.

- |   |   |
|---|---|
| <p>§. I. An saeculo primo Apostoli in Cimbria docuerint?</p> <p>§. II. Quibus documentis domesticis veritas Christianae religionis stabiliri id temporis potuerit?</p> <p>§. III. Quo successu?</p> <p>§. IV. An saeculo secundo religio Christiana Cimbris innotuerit?</p> <p>§. V. Num saeculo tertio usque ad sextum hic proposita sit?</p> <p>§. VI. Quid saeculo septimo Francorum Rex Dagobertus praestiterit?</p> <p>§. VII. Quid Pipinus?</p> | <p>§. VIII. Quomodo Apostoli ab Egberto, Pipini auspicio, missi religionem propagarint, &amp; quidem Imo in Frisia Septentrionis?</p> <p>§. IX. Hdo in lutia Cimbrica?</p> <p>§. X. Hiltio in Nordanbingia?</p> <p>§. XI. Apostoli Egbertiani Franciam repetunt.</p> <p>§. XII. A Pipino in Cimbriam remittuntur.</p> <p>§. XIII. Quomodo Carolus Martellus sacra sua hic vulgare tentauerit?</p> |
|---|---|

§. I.

Primo statim saeculo post CHRISTVM natum maioribus nostris innotuisse salutarem veritatis cœlestis doctrinam, nemo

nemo qui diuinioribus litteris suum statuit pretium, ibit inficias. Omni exceptione maius est sacrorum oraculorum interpretis fidelissimi testimonium firmissimum sanctissimumque „in omnem, inquit PAVLVS, terram exiuit fontis eorum,“ et ad ultima orbis terrarum verba eorum.“<sup>(1)</sup> Quis ab universis gentibus Cimbricos populos inconsulte ac temere excludat? Neque desunt scriptores optimi grauiissimique, qui contendunt, id temporis in Cimbriae finibus sacra Christiana vulgata esse atque proposita. Ex perpetua traditione memoriae prodidit ALBERTVS CRANTZIVS, ipsis NERONIS temporibus quemdam venisse Bardeicum, quae tum in mediterraneis vna dicitur vrbs floruisse, et inibi nomen IESV CHRISTI praedicasse, in eoque curas illius et cogitationes euigilasse, vt conspecta clarissima diuinae veritatis luce vicini etiam populi caecutire tandem aliquando definerent. <sup>(2)</sup> Quid? quod disertis verbis testatur THEODORITVS, apostolos, vt omnes alios populos, sic etiam Cimbros sensibus occultis de vero Numine, caelestisque sapientiae arcanis salutariter instituisse. <sup>(3)</sup>

(1) Ad Rom. X, 18. ad Coloss. I, 6, 23. conf. Vener. Muhlius in dissertatione de conversione paganorum sub auspicio Friderici IV. Cap. I. §. 14. p. 18. Vir celeb. C. M. Pfaffius in Origg. Iur. Eccel. Cap. II. §. 2. Io. Henr. Vrofinus de Eccles. German. orig. et progressu lib. II. cap. I. §. 1.

(2) Alb. Crantzus Metrop. lib. I. cap. I. p. m. 4. quum de boreali loquitur Germania, “Ferunt, inquit, sine certo auctore plurimi iam tum Neronis Imperatoris temporibus cum diuus Petrus Romae versantesur, ex discipulis eius vnum venisse Bardeicum, quae tum in mediterraneis vna in omni prouincia dicitur vrbs floruisse: ibique nomen Christi praedicasse, et longanimitate gentis totius conversionem pie praestolantem, diem ibi suum obiisse. Religiose per annos mille et supra, eius sepulcrum inter omnes habitum, donec Henrico Leone urbem captam euertente, Rex Daniae Canutus, qui illi aderat, expeditionis mercudem acciperet a seculo ossa sacra pri-

„mi praedicatoris. Haec fama feruntur, sed non leguntur in annalibus, qui ab ipsis antiquitatibus pene nulli extant.“ At, inquis, quid sibi vult fama non satis firma? Quam fidem hae traditiones merentur? Quis credulum se praebebit rumor et narrationibus, quae stabili fundamento destituuntur? At enim uero scias etiam praerogativa fortassis quadam gaudere relationes huiuscmodi in Septentrione. Adducam verba doctissimi auctoris commentarii in Arae multiscii schedas de Islandia p. 101. quas longe rarissimas non nisi pauci eruditи virи manibus terunt. „Non tam leuis, inquit, momenti erant relationes istae ut hodie. Nam credebant rem defunctis esse gratissimam, si frequenter eius historiam et fortia facta narrarent, id esse defunctis gaudio eorumque manes haud leui perfundere delectatione. Sed et id negotii crediderunt sibi dari, ut veritati litarent, quum displicuisse, ceu putabant, defunctis, si veris falsa admiserent. Hinc erant omnium in ore virorum fortium facta, quae proinde ut nimis cognita scripto diuulgare supervacuum.“ Quae quum traditionum apud veteres septentrionis ciues ratio esset, usu venit, ut memoriae magis, quam litteris mandarent res gestas. Quid? quod, ut idem interpres paullo ante l.c. narrat; „memoriae suae adeo confidisse nostros liquet, ut sine litterarum ope satis certa crediderint esse, quae iis infixerant.“ Quocirca traditionem illam ad quam prouocat Crantzus, et qua firmat apostolum in Cimbriae finibus tempore Neronis sacra vulgasse Christiana, non plane temnendam esse utique tueor. Praesertim quum idem referant alii scriptores, docente etiam scriptura sacra id temporis vniuerso humano generi doctrinam Christianam innovisse. Sed et aliud vestigium veritatis in loco Crantzii reperias, qui commemorat, „religiose per annos mille et supra eius (apostoli) sepulcrum inter omnes habitum:“ Ut adeo et relatio illa fundamento huic inniti potuerit. Nam per monumenta huiusmodi veteres septentrionis ciues memoriam rerum gestarum quoque custodiebant, annotante Arae multiscii editore, quem modo laudabamus. „Res, inquit, fortiter gestas aliqua ratione posteritati consecraturi veteres, varios propagandi modos inuenere. Primo quidem saxa ingentia loco mouebant, eaque in memoriam sui erecta constituebant, ut praecepsium qui quis ad eorum adspexit in memoriam res gestas.

gestas revocaret. Haec variis in locis congregata sine omni litterarum ductuumque vestigio passim deprehendas.<sup>(a)</sup> Quae si ita se habent, et sepulcrum sive tumulus apostolo illi demortuo, ob miracula et facta extraordinaria, quibus doctrinam suam legati DEI solebant stabilire, procul dubio erectus, memoriam eius conseruauit, parum refert, ipsum apostoli nomen ad nos haud peruenisse, quum nullis litterarum ductibus maiores nostri monumenta ornarent, nomina autem, quae per solam traditionem propagabantur, memorine facile excederent.

(3) Theodoritus de curandis Graecorum affectionibus serm. IX. fol. 610.

### §. II.

Et certe, gratissimis atque in sensus occurrentibus argumentis Cimbriae apostoli doctrinam suam procul dubio id temporis communiuere. Ut enim taceam totum terrarum orbem ob facta Christianorum extraordinaria ad magnam admirationem tum traductum esse; in ipsa nostra Cimbria primis istis temporibus accidebant, quae non poterant non declarare veritatem sanctioris doctrinae, conspirantibus illis cum praedictionibus sanctorum vatum et prophetarum, et paganis ob oculos ponentibus idolatriae suae pudendam peruersitatem. Quis nescit cessantia oracula paganos conuicisse eosque reddidisse mutos et elingues, rem autem Christianam communiuisse, (a) quemadmodum vsu venturum praesignificauerat diuinus vates ZACHARIAS. (b) Eadem autem tum temporis in Cimbria desiisse, haud vanis, vt mihi quidem videtur, conjecturis affequi possumus. Praeterquam enim quod ex praedictione generali hoc effici potest, idem etiam probabili ratione indicant, quae id temporis in causa religionis hic euenerent. Qualis et quanta statim post CHRISTVM natum in idolatria Cimbrorum facta sit mutatio, nec admirari satis, nec verbis possumus exprimere. Neque enim aliqui dumtaxat ritus, nec quaedam tantummodo opiniones, sed omnis omnino illius tempo.

ris

ris idololatria aliam plane faciem induebat. Quondam idolis suis non erexerant delubra, neque imagines dedicauerant, sed iis, cultu sub dio veterrimo, arbores florentes et frondibus teatas plurimis, sacras esse iusserant, quod sibi persuasere Deos figuris humanis exprimi ac templis includi non posse. (c) CHRISTO autem nato et regnante AVGVSTO sacra sua ritusque omnes immutauere, et more Romano non solum DEOS suos coluere, verum etiam ipsa eorum idola in suis numerauere. (d) Quae quidem insigniter commemorabilis sacrorum paganorum mutatio in Cimbria nonne satis luculentter declarat, paganos Cimbros priscarum superstitionum suarum vanitatem agnouisse? Quid enim eos permouere poterat ad arcessendum Romanum idolorum cultum, si ille, qui longo vsu erat receptus, amplius arrisisset? Quum autem tam mirifica vicissitudo in ipsum inciderit tempus, quo CHRI-STVS natus est, et quo in toto terrarum orbe, ex decreto diuino oracula cessatura erant, consentaneum vtique videtur, vt alibi, sic in Cimbria, silentium oraculorum, quibus tamquam fulcris potissimum nitebatur idololatria, in diuersum animos mutasse, et ad alia sacra amplectenda permouisse Cimbros. Ut iis oraculorum cessatio idololatriae suae vanitatem et peruersitatem id temporis ob oculos posuit; sic doctoribus Christianis eadem procul dubio importauit adiumentum, vt sacrosanctam veritatem ostenderent caecis paganis, qui sua confessione tunc vrgebantur. Quis dubitet CHRISTI sacris addictos prouocasse ad ZACHARIAE tunc impletam vaticinationem? Quis ambigat eosdem hac occasione stabiliuisse rem Christianam aliis notis et argumentis?

(a) *Celeberr. Frid. Spanheimius Hist. Eccl. N. T. saec. I. cap XIV. n. IV. p. m. 51.* conuersiam de oraculis his verbis summatim complectitur.  
 „Cessationem, inquit, oraculorum, cuius illustre initium in silentio Apollinis Delphici, fere circa Christi exhibiti tempora, aut nulla

am-

amplius secundum M. Tullium, aut vilia nec impudenter edentis oracula, secundum Plutarchum. Consummatum hoc silentium ferunt, circa excessum Apostolorum, omnibus fere tum oraculis silere iussis, ex Luceno, Iunenali, Plutarcho, aliisque, non diffitentibus olim Celsis, Porphyriis, aduersariis Christiani nominis. Nec consuli tamen a superstitionis hinc inde desierunt, bac et sequenti aetate. confer. P. D. Huetius Dem. Euang. T. II. Propos. IX. cap. XXXIX. § 4. p. 751.

(b) Zach. XIII, 2. seq. conf. Abr. Calouii Biblia illustrata V. T. Tom. II. p. 1016. ad h. l.

(c) Paganorum bunc fuisse morem veterimum, testis est Morhofius nostras, Germaniae gloria, in commentatione de Meritis Germanorum in Republ. litteraria, quae prodiit numquam, neque Venerem hanc suam Appelli licuit absoluere. Dissertationibus tantum Academicis p. 612. insertum legitur capitis primi initium, quod integrum afferuo, iuxta atque caput secundum, cuius index est: De antiquissima apud Germanos et Celtas Philosophia et Theologia. Ibi quum docuiset, viros penes quos rei diuinae facienda cura fuit, sub dio sacra fecisse in montibus et siluis: "nulla, inquit, tum templa fuerunt, ac omnino nefas habitum fuit certo aliquo loco DEV M quasque compingere, quae apud plerosque gentiles vetustissima opinio fuit ex primaevo cultu deducta. Dixeris in memoriam veteris Paradi siaci cultus, ubi in horto constitutus Adamus Deum venerabatur, haec ita instituta et reliq.

(d) De hac insigni sacrorum paganorum mutatione luculenter agit Cranzius lib. II. Saxoniae cap. 9. et 12. Eamdem breuiter quoque describit Io. Petersenius in der Holsten Chronica P. I. p. 4. edit. in 4to. „Die Holsten, inquit, haben auch wie die andern Sachsen in grosser Abgötterei gelebet, bis zu den Zeiten des grossen Caroli. Sie haben ihren Abgöttern kein Tempel noch Bilder gemacht, besondern grüne Räume mit vielen Aesten vnd Zweigen ihnen geheiligt. Sie glaubten daß sie ihre Götter im Tempel oder Häuser nicht beschließen noch mit menschlichen Bildern figuriren möchten, bei dieser Meinung vnd Glauben seind sie geblieben bis zum Zeiten Drusi vnd seines Sohns Germanici, wie etliche wollen, die unter dem Keyser Augusto Sachsenland bekrieget. Diese haben den Römern gedienet“

„mit etlichem Kriegsvolck, vnd selbst von ihnen gelernt den Römi-  
 schen Göttern Tempel vnd Bildnisse in ihrem Lande zu machen,  
 vnd aufzurichten.“ Sc. Neque hoc loco omittendum, Olafum  
 Tryggvinum Norwegiae Regem in oratione superstite, quam ad po-  
 pulum, pro religione Christiana, in regno suo, ad illud tempus ido-  
 lorum cultui mancipato, plantanda, habuit, euidenter demonstrasse  
 paganam superstitionem maxima in septentrione tempore nati Chri-  
 sti incrementa cepisse. videatur Thormodus Torfaeus in serie dyna-  
 starum et Regum Daniae lib. II. cap. II. p. 105. Vir autem celeberrimi-  
 mus Io. Möllerus in Isag. ad Hist. Chers. Cimbr. P. II. cap. I. p. 9. „non  
 dissimulabo, inquit, erroneam mibi semper visam esse quorundam  
 nostratum sententiam, qui Graecorum ac Romanorum Deos,  
 septentrioni olim pagano, uti credo, plane ignotos, a Cimbris,  
 Frisis atque Sexonibus Chersonesi nostrae cultos fuisse sibi persua-  
 dent.“ Cui sententiae subscribere per omnia non possum. Licet enim  
 maiores nostros aeuo quam maxime remoto Romana idola non sem-  
 per coluisse elargiar; tempore tamen natiuitatis Christi Cimbros  
 Romanam idolatriam cum sua coniunxiisse, scriptores, quorum  
 mentionem intulimus, declarant. Tuetur quidem p. 11. esse con-  
 cepturam dumtaxat Crantzianam, Deos Romanorum in Saxoniam  
 esse inuectos; sed hoc loco rem acu tangere non videtur, quum  
 Crantzius aliisque tantummodo dubitandum esse tradant, utrum a  
 Romanis in Cimbriam haec idolatria sit illata, an vero Roma  
 ipsi eamdem accersuerint, ut ex ipsis eorum verbis patet. Ne-  
 que obstat obiectio, incertum esse, quid per Saxoniam intelliga-  
 tur, virum Westphalia tantum, an Saxonia Transalbiana, scri-  
 toribus hanc mutationem sacrorum apud Saxones euensis tradeno-  
 bibus. Saeculo enim primo huic distinctioni nondum erat locus, quo  
 Saxones in sola Cimbria habitabant. Neque vir doctissimus Möl-  
 lerus, refragantibus tot clarissimis scriptorum fide dignissimorum  
 testimonis, probare poterit, Romanorum Deos maioribus no-  
 stris plane non esse honoratos, quum contrarium aperte loqua-  
 tur tot templo Ioni, aliisque diis Romanis excitata. Quod, si verbo-  
 sus esse vellem, plurimis documentis ex Petri Saxii MStis, et aliun-  
 de petitis firmare possem. Id solum paucis moneo, hoc satis pa-  
 sare ex indicio illo superstitionem in Saxonico populo idolatricorum

71-

rituum, Conringii libro de origine Germanici iuris subiuncte. Ibi enim diserte legitur de sacris siluarum, quae Nimidas vocant, de his quae faciunt super peeras, itemque de sacris Mercurii, vel Iouis, de feriis quae faciunt Ioui vel Mercurio. Cuius indiculi memini etiam mentionem inferre Virum Magnif. Henr. Muhlium in Comment. de voce Kirch. §. XIII. p. 43. Eundem praeter Conringium exhibent Stephanus Baluzius in Capitular. Tom. I. p. 149. Casp. Sagittarius in Antiquit. Gentilism. et Christianism. Thuring. lib. I. cap. III. §. 8. p. 26. seq. Illustr. Burc. Gottb. Struuius in Synagm. Hist. Germ. Diff. VI. cap. XI. p. m. 157.

## §. III.

Etsi autem documenta haec minime contemnenda oculos ferire Cimbrorum itidem debuerant, parum tamen fidei Christianae tribuebant hi maiores nostri, de vanitate idolatriae suae conuicti. Etenim non solum Romanorum superstitionibus se constringendos tradebant; sed etiam legatos Christianos e numero viuentium acerbissima morte exturbabant, quod ex CRANTZIO colligas, (\*) quo auctore discimus, barbaros nemini eorum spem transitionis ad Cimbros praebuisse. Quaedam autem dogmatum Christianorum vestigia remansisse, et maiores nostros sacra sua mutantes saeculo primo retinuisse, veri vtique simile est. Ex Edda enim, in qua varias Theologiae paganorum veterum in Cimbria reliquias deprehendas, intelligimus, eos coluisse OTHINVM praecipuum Deum, qui et WODAN dicitur, et tenuisse, hunc Deorum omnium parentem filium THOR genuisse, qui THOR serpentem infernum quidem vicerit, sed victor amiserit vitam. (\*\*) Quam doctrinam procul dubio acceptam referunt veritatis caelestis propagatoribus de CHRISTO morte sua viatore tartarei draconis. Idem etiam probabiliter inferas ex ritu baptismi apud Cimbros paganos usitato. Luculentis enim testimentiis constat, illos recens natos infantes aqua adspersisse, et adspergendo nomina sua infantibus imposuisse. (\*\*\*)

(\*) Crantzus Metrop. lib. I. cap. I. p. 4.

(\*\*) Videatur Edda Islandorum ex editione Petri Joh. Resenii Mythol. XLVIII. lit. S. ubi haec verba reperias. „Ex vinculis dissoluitur Gar-  
„mus canis, qui allegatus fuerat ad ostium speluncae, quae Gnypa  
„gheller nominatur. Is, maxima est pernicioſe, cum Thoro congreditur,  
„et cadunt ambo. Thorus victoriā quidem ab angue Midgardiano  
„reportat, sed nouem passus ac illo digressus, ob vim veneni, quo ipsum  
„anguis afflatus, mortuus decidit.“ conf. Mythol. XIX. Lit. H. 2.

(\*\*\*) Snoro Sturleſon. P. III. Chron. Norhag. p. 61. 62. 117. Huc quoque  
facit historia de fonte in Helgolandia a paginis sanctissime habito,  
enius §. VIII. huius Cap. num. IVto mentionem feci.

#### §. IV.

Non defunt conjecturae, quibus probabili quadam ratione  
firmari possit, saeculo secundo etiam nauatam esse operam ut  
in Cimbria caput efferret Christiana religio. Tempore Caesaris  
**TRAIANI** non ciuitates tantum, sed vicos etiam atque agros  
peruagatam esse testis est C. PLINIVS Caecilius secundus in  
inclita ad Traianum epistola. Idem tuentur sancti comparis  
aetatis viri et Patres. (a) In iis IRENAEVS ciuitates DEI in Ger-  
mania fuisse, easque quidquid in symbolo apostolico extat cre-  
disse atque professas esse propugnat. (b) Veritati igitur haud ab-  
simile est, hoc aeuo etiam ad Cimbros de CHRISTO quandomam  
minimum notitiam peruenisse. Neque enim hoc loco omit-  
tendum, extare interpretationem symboli apostolici antiquis-  
simam lingua Anglo-Saxonica exaratam, quae a litteraturae  
Germanicae peritissimis, eam ex MSto publicantibus, ad  
haec circiter tempora refertur. (c) Non solum huius interpre-  
tationis veterima actas hoc IRENAEI testimonio quodam-  
modo communitur, ex quo constat, eo tempore in Ger-  
mania prae ceteris symboli huius rationem habitam fuisse;  
verum etiam ex eadem interpretatione inferas, veritatem do-  
ctrinac symboli apostolici in Germania profitentes, in Cim-  
bris

bria nostra, et sigillatim in Anglo-Saxonia, id egisse, ut CHRI-STVM annuntiarent.

- (a) Haec testimonia dedita opera collegit, et in commentario in Plinii et Traiani de Christianis primaevis epistolas, publici iuris fecit pie defunctus Anus meus Christianus Kortholtus a p. 167. ad p. 185.
- (b) Irenaeus lib. I. cap. II. et III. quum ea, quae in symbolo apostolico traduntur exacte recensuisset, hanc etiam fidem ecclesias in Germania consecratas proficeri bis verbis declarat: Ηγή ούτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἴδρυμέναις ἐκκλησίαις ἀλλως πεπιστευκασιν, η ἀλλως παραδιδόσιν etc. conf. Vrsinus l. c. p. 120. seq. et Casp. Galvör Saxon. inf. antiqu. Gent. et Christ. P. II. lib. I. cap. II. §. II. p. 122.
- (c) Symboli interpretatio haec est: *Ic gelyfe on God faeder aelmihtigen, scyppend heofenan and eorhan. Ic gelyfe on haelend Christ, his ane ennedan sunu, vrne Drychten. Se was geacnod of tham halgan Gaste, and acunned of Mariam, tham maedene. Getbrowod under tham Pontiscan Pilate, on rode abangen. He was dead, and bebyrged. And he nyther astah to belle, and he aras of deathe on them thridian daege. And he astah up to beofenum, and sitt nu aet swithran Godes, almihtiges faeder: thanan he wile cuman to daemenne aegther getham cucum, getham deade. And ic gelyfe on than halgen Gaste, and tha halgen gelathinge, and halgana moenyse, and sunna fyrifenyse and flaesces aerist, and that eae life. Eamdem ex veruissimo MSto Marq. Freherus anno 1213 cum notis publicauit. M. Z. Boxhornius autem primis religionis Christianae rudimentis, antiquissima Saxonum et Alemannorum lingua scriptis Lugd. Batav. MDCL. impressis, et annexis Haymonis Halb. Episc. Historiae Eccl. Breuiario a se edito, et postea Historiae suae universae p. 101. fine notis ex MSC. inseruit; Sedet Vrsinus l. c. p. 134. symbolum hoc saxonicum producit. Io. Georg. Eccardus Monachi Weissenburgensis Catechesi Theotiscae attexuit p. 202, 203. Ad aetatem, qua haec interpretatio concinnata est, quod attinet, Freherus eam exinde quidem non indicat, quoniam vero Irenaei, Gregorii M. et Chrysologi loca, quibus tuentur suo iam tempore doctrinam Christi in Germania, et in universo terrarum orbe innotuisse, interpretationi huius symboli praefigit, colligas ad faculum circiter secundum*

*Erebero referri. Vid. Eccardus l.c. p. 200. Boxhornius autem in Hist. Vn. p. 101. totidem verbis contendit symbolum hoc Saxonum pertinere ad tempora, quibus apostoli primum in orbe terrarum Christum praedicarunt, idemque opponit Ruffino, propugnanti Aquileiense symboli apostoli exemplum primum esse, quod descensus Christi ad inferos iniiciat mentionem.*

## §. V.

Saeculo tertio et quarto in religionis negotio non occurserunt, quae praeter cetera dictu digna, et ad posteritatis memoriam insignia videantur. Vnde tamen nolim concludere, non nauatam esse operam, ut eadem hic locorum vulgaretur. Notissimum est maxima bella semper gessisse Cimbros cum Romano imperio, quippe qui primi omnium Germanicum nomen terribile reddiderunt Romanis. (1) Constat etiam commercia maioribus nostris cum Britannis intercessisse. (2) Quocirca occasio illis defuit numquam, ut Christianae religionis fundamentis initiantur. At Cimbros bene multos saeculo quinto ad fidem Christianam esse conuersos dubio caret. Etenim, quum anno cccc XLIX Angli-Saxones ex Cimbria emigrarent, Britannicum regnum sub iugum suum redacturi; non multo post regni CHRISTI vna participes fiebant. Quis igitur ambigat, Cimbris numero multis Christianam religionem iam profitentibus, in Cimbria quoque eamdem acrius et frequentius esse propositam? Simul enim atque euangelium de CHRISTO professi sunt maiores nostri, omni feruore ad dedicandas aedes sacras, ad exercenda sacra publica, et ad propagationem nominis Christiani incredibilem adhibuere diligentiam. (3) Eodem etiam hoc saeculo V. circa finem in Francorum regno, tum Cimbris vicino, doctrina Christi crescebat mirifice. CHLODOVEVS enim Franciae Rex, ducta uxore Christiana CHLOTILDE, ab ea frequenter de amplectenda Christiana religione monitus, tandem anno ccccxcvi. consilio

filio paruit, et postquam in praelio, quod contra Alemannos ad Tolbitcum in Vbiis gessit, inuocato CHLOTILDIS vxoris suae DEO, praesentem eius opem erat expertus, victis hostibus, apud Remos CHRISTO nomen dedit, atque a S. Remigio, eius urbis episcopo, cum Regia familia baptizatus est. (4) Quis dubitet ex hac Francorum conuersione maxima emolumenta cepisse Christianos apud Cimbros, qui vt iamiam audiemus, nulli operae pepercerunt, vt maiores nostros voluntate et sententiis coniunctissimos haberent. Primus autem apostolus Cimbriae, cuius nomen scriptores litteris custodiuerere, dicitur AEGI-STVS, Francorum Regum auspicio, quod ex circumstantiis modo allatis non temere colligas, huic muneri admotus. Is, vt ex iis, quae de eo relata legimus, probabili ratione apparet, saeculo sexto in Fresia aliisque locis prima religionis Christianae sparsit semina, et nulos non labores suscepit, nullam non molestiam assumit, vt Cimbricos animos his imbueret sacris. Magnam igitur existimationem nomini suo conciliauit, at licet fortassis nonnullos ad CHRISTVM conuerterit, efficere tamen non potuit, vt CHRISTI doctrina in Cimbria firmas egerit radices. (5)

(1) Tacitus de Germania cap. XXXVI.

(2) Beda lib. I. Hist. Eccl. cap. XV.

(3) Camdenus in Britannia tit. Anglo-Saxonis p. 73. eonf. M. Trog. Arno kiel vhralt. Mittern. Völcker Leben, Thaten und Bekehr. ubi P. IV. lib. III. integro Cap. X. conuersionem Anglo-Saxonum in Britannia late persequitur.

(4) Gregorius Turon. Hist. Franciae lib. II. cap. 30. seq. Baronius in Annal. ad ann. 599. n. XV. seq. addatur Burc. Gottb. Struhius in Synagm. Hist. Germ. Diff. VI. §. VI. et XI. ubi rem Gointii aliisque documentis firmat.

(5) Diuersae sunt scriptorum de hoc Aegisto sententiae. Quidquid de illo dicitur falsum atque commentitum esse quidam tenent. Sic Gasparus Sagittarius in bistoria antiquissime urbis Bardeuici cap. II.

§. 14. s. p. 47. et qui eius vestigia premit lo. Möllerus in Isag. ad Hist. Cimbr. P. II. §. 2. p. 14. seq. tuentur fabulam et fictam rem esse, quae de Apostolo Aegisto referatur. Iudicium suspendit, et hanc relationem non omnino reiiciendam esse opinatur Caspar Caluörius in Saxonia inferiori antiqua Gentili et Christiana Parte II. lib. II. cap. II. §. 8. p. 121. Alii veram esse eamdem historiam vel retensione vel defensione sua comprobant. Sed et hi in diuersas abeunt partes, nonnullis ad saeculum primum, aliis Aegistum ad sextum referentibus. Illud facit Henricus Heruordiensis in Chronicō cuius index: De factis memorabilibus. „Duo, inquit, ex LXXII. Christi discipulis missi sunt per Petrum apostolum in Teutoniam, verbum DEI praedicaturi. Vnus quidem in Treuerim super fluuium Mosellam, scilicet Maternus. Alius autem, scilicet Aegistus, in Bardewick super fluuium Elmenow, cum Mariano, qui fuit Archidiaconus eius, et in Bardewick coronam martyrii perceperunt.“ Cum Henrico consentiunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. I. lib. II. cap. II. Tit. de Ecclesiis per Europam p. 23. Wernerus Rolfinius de laudibus Westphalorum lib. I. cap. III. Io. Petersenius in der Holsten Chronic P. I. p. m. 9. et Trog. Arnkiel l. c. lib. I. cap. IV. §. 8. p. 26. Ad saeculum autem sextum de Apostolo Aegisto historiam refert, et id temporis in Cimbria cum docuisse tradit Petrus Saxius, in MSto ἀυτογραφω, cuius index: de praecipuis rebus gestis Frisiorum septentrionalium breviter descriptis, et iconice adumbratis, libri sex, e summis antiquitatum tenebris producti anno Christi MDCLVI lib. II. cap. I. de religiosis Frisiorum apostolis et Christianae religionis propagatoribus. „S. Aegistus, inquit, A. 589. primus Apostolus Phregiae.“ Ad eundem annum recenset M. Ant. Heimreich in Nordfres. Chronic cap. V. p. m. 88. Quos quidem ultimo loco nominatos scriptores sequi malim. Nec ausim propugnare, omnino fabulosum esse Aegistum hic locorum docuisse. Haud scio an argumenta a celeberrimo Sagittario prolata, rem totam confiant. Palmarium est quod l. c. p. 49. contendit, antiquam et de rebus multis abhinc saeculis gestis relationem esse. Sed, quod pace tanti viri dixerim, nulline historiae antiquae habenda est fides? Si quidquid de rebus antiquis traditur, secundum Sagittarium, commentitium est, quid habendum de urbe Bardenico, quam antiquissimam esse tenet?

tenet? Neque videtur obstare altera ab illo p. 50. producta ratio,  
 „non nisi per Carolum Magnum in Saxonia religionem Christianam, primo armorum vi, post episcoporum ope fuisse introductam,“  
 firmatamque. Nemo enim unus propugnat, ab Aegisto hic stabilita esse Christiana sacra, sed omnes, qui eius mentionem faciunt,  
 tantum affirmant, eumdem operam dedisse sacris hic vulgandis Christianis, et paganis conuertendis. Ut autem huiuscmodi argumenta  
 veritatem historiac de Aegisto Apostolo non penitus infringunt; sic  
 scriptorum grauissimorum, quorum supra mentionem intuli, testimonia  
 haud permittunt, ut eamdem plane in dubium vocem. Corru-  
 ptam tamen esse facile elargiri possum. Etenim dum tradunt a Petro  
 apostolo missum esse Aegistum, hoc statim suspicionem mouet, pon-  
 tificium esse commentum; quum sciamus, Petrum non paganorum,  
 sed Iudeorum fuisse apostolum Gal. II, 7. Praeterea idem firmat,  
 quod scriptores ex Mariano Aegisti faciunt Archidiaconum, quam  
 ordinis distinctionem saeculi primi tempora ignorabant, teste Joseph.  
 Binghamo in Orig. Antiquitt. Eccles. P. I. Lib. XI. cap. XXI. §. XI.  
 edit. lat. quae Halae 1724. excudi coepit p. 338. seqq. At vero hinc  
 apparet unice, varia in relatione hac deprehendi, quae cum veri-  
 tate consistere nequeant, quodsi saeculo primo Aegistum floruisse con-  
 tendamus. Inde tamen falsam esse totam de apostolo Aegisto histo-  
 riā quis temere inferat? Ut enim taceam corrupti non potuisse  
 historiam, quae numquam extiterit, alia adhuc superest ratio, qua  
 me expediam. Fac saeculo primo quemdam hic locorum docuisse  
 Christianam religionem, et magnam sibi famam acquisuisse, cuius  
 nomen obliuione deletum sit. Finge saeculo sexto alium, cui Aegisto  
 fuerit nomen, sacra docendo omnium oculos attraxisse. Duae historiae  
 sequentibus temporibus in unam, ut fieri solet, forte coahuere. Quod in  
 Borealis Germaniae parte eo facilius vnu potuit venire, quo diligentius  
 illius habitatores traditionibus rerum gestarum memoriam serua-  
 bant, ut supra declarauimus. Ad traditionem autem prouocat utique  
 Alb. Crantzius loco ad §. 1. huius Cap. n. 2. citato, quo stabilit ab apo-  
 stolo quodam saeculo primo hic esse Christianam doctrinam propositam,  
 nulla Aegisti mentione facta, et Petrus Saxius iuxta atque Heim-  
 reichius ll. cc. documentis procul dubio domesticis et diuersis usi, re-  
 ferunt Aegistum saeculo sexto in Phresia docuisse. Qua ratione plen-

C

raque

neque omnia dubia, quae circa veritatem historiae Apostoli Aegisti occurunt, remoueri posse coniectura auguror non plane contempnenda.

### §. VI.

Saeculo septimo in Cimbria Christiana sacra maioris studio tradebantur. Bellis enim maximis inter Cimbros et vicinos Francos ardentibus, ut ea in materiam salutis sempiternae Cimbrorum conuerterent, omni opere elaborabant religiosissimi Francorum Reges. Videlicet, quum DAGOBERTVS I. Francorum Rex, ob insignem plane Iudeorum conuersationem maxime inclitus, anno illius saeculi XXX. aduersus Cimbros dimicaret; (\*) prouidenti etiam cura efficere studuit, ut illos de peruersitate idololatriae suae conuinceret, ideoque negotium dedit KONIOCHO, vt inibi sacram proponeret doctrinam, qui maiori fide quam felicitate in Fresia septentrionis prae ceteris officio sibi demandato defunctus est. Nam ob tradita sacra aliena a RADBODO, Fresorum Rege, e regionibus hisce eiiciebatur. (\*\*)

(\*) Sigebertus Gemblacensis ad ann. 630. ex edit. Aub. Miraei p. 61.

(\*\*) Petrus Saxius in MSto autographo citato lib. III. cap. I de Ecclesiasticis in Nordstrandia ad A. C. DCXXX. S. Koniochus, inquit, apostolus Phresiorum secundus, per Dagobertum in Frisicum regnum ablegatus, sed a Radbodo, mortuo patre Adgillo, fugatus. Aut ille docuit in Nordstrandia, aut fama huius viri ad incolas permanauit, siquidem celebris olim illa Paroecia Königsbull, ab ipso forte suam denominationem habet.

### §. VII.

Neque sequentibus huius saeculi annis PIPINVS Ansegisi filius, in Francia Palatii praefectus, THEODORICO solum Regis nomen obtinente, intermittebat quidquam, ut Christianae religionis cognitione Cimbri augerentur. RADBODVM enim, cuius modo meminimus, potestati suae subiectum sub exitum eiusdem saeculi adegit, ut Euangelistis, quos missurus erat

erat, pacem vel inuitus concederet. (a) Ipsi autem PIPINO prae reliquis curae cordique erat sacrorum apud paganos Cimbros emendatio. Igitur anno DCXC. in Britanniam misit legatos ad celeberrimum inibi Abbatem EGBERTVM Anglo-Saxo-nem, atque ab illo petiit, ut viros et pietate et doctrina insi-gnes ad conuertendos paganos ciues suos idoneos, linguae-que Cimbrorum peritos designaret, deuictos a se Fresos Saxo-nesque sacra Christiana edocturos. (b) Cui petitioni concessit, virosque huic instituto maxime aptos delegit, duodecim pres-byteros ordinis Benedictini Anglicos, WILLEBRORDVM, SVIDBERTVM, ACCAM, quem alii OCCONEM vocant, VIGBERTVM, WILIBALDVM, VNIBALDVM, LEBVI-NVM, EWALDOS duos, album et nigrum, a pilis sic appellatos, WERENFRIDVM, MARCELLINVM et ADELBER-TVM. (c) Eosdem itineri apostolico se datus sincero affectu, argumentisque grauissimis commonuit, et pro suo in ciuitatem DEI, et ciues suos Cimbros amore obtestatus est, ut nullum periculum, nullos labores euitarent, quo ciuium suorum aeternae saluti possent consulere. (d)

(a) Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum 692. et 694. p. 74.

(b) Ne ipse quidem Caes. Baronius in Annal. Tom. VIII. ad ann. 690. n. VI. VII. seqq. Pipino hanc gloriam detrahit, quod missionis legatorum sacrorum praecipuus auctor fuerit promotorque, sed potius testimo-niis non temnendis id firmat. Praepostere tamen contendit Pontificis Romani, qui id temporis Sergius Imus erat, non minores in hoc ne-gotio partes fuisse, quod totum ab eius nutu et auctoritate pepen-derit. „Et ne, inquit, in vacuum (ut dicit apostolus Gal. II.) cur-“ reret, decernant mox ad eum, quem vice Petri scirent vniuer-“ sae Ecclesiae praeesse Romanum Pontificem, quo Apostolatum accipe-“ rent ad gentes, licentiam scilicet atque auctoritatem Euangeli-“ praedicandi.“ Baronius vnicce hic respicit ad relationem Bedae de profectione Romana Willebrordi, quae anno 696. contigit, (Beda lib-“ V. cap. XII.) quamque et ipse ad eumdem annum recenset. Ex vna

autem hac historia binas effingit hic Purpuratus, eamdemque etiam ad annum 690. refert, eiusdem Bedae testimonio de una eademque re differente nixus, quum tamen Bedae in mentem venerit numquam de duplice profectione Romana verba facere, quippe qui commemorat, Egbertum auctorem hortacoremque fuisse, ut Willebrordus sociique itineri euangelico se daturi, in Frisiam proficiscerentur, ibique officio suo fideliter fungerentur, nulla mentione facta, quod prius Romanam petere debuerint. Illo etiam loco, quo Baronius probare annititur, apostolos Egbertianos 690. Romanam contendisse, Beda nos docet, eos iam per aliquot tempus in Cimbria partes suas prius impleuisse, quam viae Romanae se accinxerint. Quocirca a recta via utique aberrat Baronius, quod manifestum est, Willebrordum anno 690. et 696. Romanae viae se bis non commisisse, quum, secundum Bedam, semel dumtaxat anno 696. profectionem suscepit Romanam. An autem ex illo itinere concludas, Willebrordum a Pontifice apostolatum ad gentes, sive licentiam atque auctoritatem Euangelii praedicandi petisse? Si hoc intendisset, quidni iam anno 690. quo apostolus euaserat fecisset? Nunc ob priuata sua negotia viae Romanae se dedit, ut Archiepiscopus Ultraiectinus constitueretur, quod ad missionem Cimbricam plane non facit. conf. Beda l. c. Baron. ad ann. 696. n. 11. Mitto, nullo neque Bedae neque Marcellini testimonino Baronium tueri posse, hanc profectionem ab omnibus apostolis Pipini auspicio missis tum susceptam esse. E contrario constat Vigbertum martyrem ann. 696. e medio sublatum iam fuisse. Quin etiam, ipse fatetur Baronius, ex hisce apostolis Suidbertum, qui tamen sacro ordini erat initiandus, ne quidem profectum Romanam, sed in Anglia Episcopum esse consecratum. Baron. ad ann. 695. n. V. seq. Praeterea bac occasione obiter obseruandum, Marcellinum unum e duodecim apostolis Pipini, qui vitam S. Suidberti scripsisse perhibetur, et cuius auctoritate Baronius complura ad historiam Cimbriae sacrae facientia communis, hoc tempore non modo a nostris Criticis suppositum auctorem merito appellari, sed etiam ipsos pontificios scriptores non audere amplius pro genuino illum agnoscere. Sic collectores actorum sanctorum mens. Mart. ad d. 1. Mart. fol. 70. n. 2--5. Jo. Mabillonius in Actis sanctorum Benedict. Tom. I. sec. III. ad ann. 713. p. 239. omni argumentorum pondere illum Marcellini foetum,

chius

cuius memini, adulterinum et spurium esse probant, quorum rationibus subscriptibit Casim. Oudinus in Comment. de scriptor. Eccles. Tomo I. ad ann. 730. p. 1677. Quae quidem et alia Baronii in rebus ad historiam Cimbricam pertinentibus errata, hoc loco verbo tantum exposita, ne nimium excrescat dissertatio, alias forsitan argumentum disquisitionis Anti-Baronianae mihi suppeditabant.

- (c) Conf. Io. Mollerus in Isag. ad Hist. Cimb. P. II. cap. II. §. 3. seqq. p. 15 - 31. ubi scriptores qui de vita et rebus gestis horum apostolorum, vel iunctim de omnibus, vel de singulis seorsim sunt commentati, dedita opera recenset.
- (d) Beda lib. V. Hist. Angl. cap. X. Ubbo Emmius lib. IV. Hist. Fres. p. 126. seq.

### §. VIII.

Neque etiam id temporis partes suas desiderari patiebantur apostoli recensiti, ab EGBERTO veritatis caelestis propagatores constituti. Quidquid enim promouendis sacris Christianis usui esse poterat accuratissima diligentia impensis curabant. Dabant igitur se viae, et in omnibus Fresiae Cimbriae locis saniora sacra et vulgabant, et tuebantur. Primum quidem Belgicis Fresis (illi enim etiam RADBODI, a PIPINO vieti, imperio erant subiecti) euangelium de CHRISTO praedicabant. At quoniam infelici successu inibi res suas agebant, Anno 1009. Cimbriam petiere, atque incolis doctrinam tradidere vnic salutiferam. (1) WILLEBRORDVS, qui originem duxit a Principe Fresorum HENGISTO, inter legatos illos religionis causa missos eminebat, reliquos doctrina et auctoritate antecelens, VIGBERTVS, aliquique prae ceteris RADBODO Regi Fresorum, qui in Fostelandia hoc est Helgolandia commorabatur, proponebant religionem Christianam. (2) Sibi enim persuadebant, Rege primum in cultum veri Numinis verso, felicius deinceps omnia processura. Quis non animaduertie maximo labore, heroicoque animo illis opus fuisse, ut hic sacra exponerent Christiana? Neque enim RADBODO dum-

C 3

taxat

taxat odio et dolori erant, qui crudelem se praebebat Christianis, (3) verum etiam in Helgolandia sedem tam stabilem fixerat idololatria, vt sanctissimus a paganis haberetur locus. (4) Quae tamen pericula non verebantur sacrae doctrinae internuntii, sed superstitiones atque idololatriam palam reprehendebant, et omni ratione adnitebantur, vt RADBO-DO religionis Christianae veritatem ante oculos exponerent. Tres homines in fonte, qui sanctissimus habebatur a paganis, baptizabant, caelestique ardore agitati templa idolorum VESTAE et IOVIS in terram prosternebant, quod fatum alibi in Frisia etiam MERCVRIVM expertum esse constat. (5) Quo facto ira summopere commotus RADBODVS, vt suorum Deorum iniurias vlcisceretur, VIGBERTVM decollari acinace curauit. (6) WILLEBRORDVM etiam accersiuit, grauiterque reprehendit, quod sacra sua violasset, et Deo suo fecisset iniuriam. WILLEBRORDVS autem hac occasione cum Rege colloquendi arrepta, fundamenta Christianae religionis illi heroico animo explicat, et grauiter hortatur, vt saluti suae perennaturae consulat, 'nec Christiana auersetur sacra. „Non „est, inquit, DEVS quem colis, sed diabolus; qui te pessimo „errore, o Rex, deceptum habet: vt animam Tuam aeternis „tradat flammis. Non est enim Deus nisi unus, qui creauit „caelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt, quem „qui vera fide colit, vitam habebit sempiternam, cuius ego „hodie tibi seruus testificor, vt ab antiqui erroris vanitate, „quem coluerunt patres Tui, tandem aliquando resipiscens, „et credens in unum DEVUM omnipotentem, dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt vitae fonte baptizatus abluas „omnia peccata Tua, et proiecta omni iniquitate et iniustitia, „deinceps nouus homo viuas, in omni sobrietate, iustitia et „aequitate et sanctitate, hoc faciens, cum DEO, et sanctis eius „glo-

gloriam possidebis sempiternam. Si vero me contemnis,<sup>“</sup>  
viam salutis ostendentem, scito certissime, quod aeterna<sup>“</sup>  
supplicia, et infernales flamas, tu cum diabolo cui obtem-<sup>“</sup>  
peras, sustinebis.<sup>“</sup> Ad haec quidem Rex miratus respondit;  
video Te minas nostras non metuisse, et verba Tua esse sicut et  
opera; sed noluit tamen veritatis nuntio fidem tribuere.(7)

(1) Vbbo Emmius lib. IV. Histor. Fris. p. 126. seq. Siebertus Gemblacensis in Chron. ad A. 692. p. 74.

(2) Testatur hoc totidem verbis Petrus Saxius in MSCto citato lib. I. cap. 2.  
de vere piis et sanctis viris in Helgolandia.

(3) Quis et qualis fuerit Radbodus accurate nos docet Saxius l.c. lib. I.  
cap. III. De Principibus et Regibus celebrioribus Frisiae Cimbricæ  
ad A.C. 690. „Erat, inquit, Radbodus Rex Phrynarum vir bellicosus,<sup>“</sup>  
magnitudine corporis conspicuus, tanta proceritate corporis omnes<sup>“</sup>  
excellens, ut ab humero sursum emineret, otii et inertiae impa-<sup>“</sup>  
tiens, illiteratus, et solo idiomate patrio contentus, linguas pere-<sup>“</sup>  
grinas discendi non studiosus, sed gallicam melius intelligens, quam  
pronuntians, sagax admodum et ingenio acer, in Christianos valde<sup>“</sup>  
impius, et crudelis, capite crasso, et ampla facie, oculis prae-<sup>“</sup>  
dibus, duobusque dentibus aliquantum eminentibus extra ordinem,<sup>“</sup>  
gerebat crines prolixos, vsque ad humeros, verinque a fronte di-<sup>“</sup>  
scriminatos, ab adolescentia imberbis, et habitu incessit Fisonico.<sup>“</sup>  
Frequenti sua præsentia illustrabat Helgolandiam, et arcem Foste-<sup>“</sup>  
burgum. A Rege Daniae Omund, quo cum bellum gessit captus,<sup>“</sup>  
et per integros 5 annos detentus. Restitutus (hac tamen lege, ut  
annum tributum penderet) male babebat suos Frisios. Cum Ca-<sup>“</sup>  
rolo Martello et Pipino vario marte luctatus. Regnauit annos 50.<sup>“</sup>  
Mortuus et sepultus Helgolandiae A.C. 723. Ex illo prognati sunt,<sup>“</sup>  
Duces et Comites Frisiae et Nordmanniae, quorum unus genuit Sin-<sup>“</sup>  
dacillam, quae nupsit Wigeberto Duci Saxonie, Wittechindi filio, A.C.  
826, cui Illustriss. et Celsiss. Cimbrorum et Saxonum Dux Frideri-<sup>“</sup>  
cus, Princeps noster clementissimus originem suam ex stirpe paternae  
debet.<sup>“</sup> Eiusdem Radbodi effigiem secundum hanc descriptionem no-  
tide curateque depictam in aduersa pagina exhibet Saxius.

(4) Ita enim Alcuinus in vita Wilebordi cap. 10, Insula, inquit, quae

*a quodam Deo suo Foseto Foseteland appellabatur, a paganis in tan-  
ta veneratione habebatur, vt nihil in ea ibi pascentium, vel alia-  
rum quarumlibet rerum quisquam gentilium tangere auderet, nec  
etiam a fonte, qui ibi ebulliebat aquam baurire nisi tacitus praes-  
umeret. conf. Trog. Arnkiel l. c. lib. II. cap. III. §. 5. p. 81.*

- (5) *Sagittarius in Antiquitt. Thuring. citt. lib. I. cap. I. vbi hos rythmos  
ex Chronico antiquo producit : So zende by (Pipin) in den Landen  
schiere Willebrorde, dee eerst bekeerde de Vrisen, en t' Geloue leerde  
Tot West-Cappelen, daer by quam En anbedende vernam Mercuriose  
ouer eenen Gode etc.*
- (6) *Petrus Sax aus Koldenbüttel, in manu exarato scripto, cuius index:  
Kurtzgefasste Beschreibung der Insul Helgolandt, wie selbige aus  
etlichen alten Geschichtschreibern, vnd unterschiedenen Relationen  
der Landvoigten zusammen getragen Anno 1638. (nullis capitibus  
hoc MSC. diuisum est.) Als er, (Willebrordus) inquit, eine Zeitlang  
mit seinen Jüngern auf Helgolandt geprediget, des Louis vnd Vestae  
Tempel niedergerissen, vnd 3 Friesen getauft hatte, ist Radbodus  
dariüber heftig erzürnet, vnd hat den H. Wigbertum sabeln lassen.*
- (7) *Alcuinus l. c. cap. II. cuius verba ex MSCto Bibliothecae Hambur-  
gensis petita exhibet Trog. Arnkiel. l. c. p. 82.*

### §. IX.

Quum igitur animaduerteret WILLEBRORDVS, se cum  
sociis discipulisque suis neque hic aliquid ad effectum posse  
adducere, in aliis Cimbriae locis Christianam religionem pro-  
pagare annis est, et, vt ex circumstantiis historiae a scripto-  
ribus memoriae proditae colligere licet, (\*) in Iutia Cimbrica,  
cuius incolae Angli quondam fuere, eamdem exposuit, et  
procul dubio in loco illius praecipuo Sleswick docuit, sed  
successu itidem parum fortunato.

(\*) *Ita enim tradit Alcuinus in vita Willebrordi. „Cum apud Radbo-  
„bodus vir DEI se fructificare non posse sentiret, ad ferocissimos  
„Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum regnabat  
„Ongendus, homo omni fera crudelior, qui tamen, iubente DEO,  
„veritatis praeconem honorifice tractabat. Quem dum obduratum  
„moribus*

moribus, et idololatriae deditum, et nullam melioris vice se psem habentem offendit, acceptis tunc triginta eiusdem patriae pueris ad electos a DEO populos regni Francorum reveri festinavit. Quae verba lo. Mollerius l. s. p. 18. seq. ex Francisci Haraei viris Sanctorum exhibet. Id vero temporis in Dania Rex non fuit Ongendus. Regnabat enim sub finem saeculi septimi Biorno, ut nos docet Arrild Huitfeld, Danmarkis Rigit Kronicke Tom. I. p. 16. Erant tamen praeter Reges, qui vniuersam Daniam regebant, in regno Daniae Reguli quidam Iutiae, qui terram ab Anglis antea habitatam, saeculo quinto a se occupatam, iunctim cum sua veteri Iutia tenebant. conf. Proem. §. 2. p. 3. et Thorm. Torfaei series Dynastarum et Regum Daniae lib. III. cap. XIV. et XX. p. 397. f. Probabile igitur est inter hosce Regulos referendum quoque esse Ongendum. Huc accedit, quod apostolus hisce Cimbricis ab Egberco Anglo-Saxone demandatum erat, ut ciuium suorum rationem portatum haberent. Quocirca consentaneum est, illos ad regionem ab Anglis antea habitatam, et in qua etiam nunc Angli quidam habitabant esse profectos, atque inibi Christianam religionem explicitasse. Coniectat quidem vir Celeb. Trog. Arniel l. c. p. 80. de Eiderostadio Alcuini verba esse expōnenda, his argumentis munitus, quod Dania ipsa hic intelligi nequeat, Eiderostadium autem Helgolandiae prope adiaceat. Sed dubium etiam nunc est, quod et ipse fatetur, ibi sedem Principis cuiusdam fuisse. Praeterea Eiderostadium etiam non ad Danorum, sed ad Fresorum populos tum referebatur. Iutia autem Danorum Monarchae subdita erat atque tributaria. conf. Torfaeus l. c. Neque enim hoc loco valere posse videtur, Eiderostadium in finibus Danorum situm esse, propterea quod Alcuinus Fresorum et Danorum populos exacte discriminat.

## §. X.

Quod autem in Fresia Septentrionis, et Iutia Cimbrica, hoc est in vniuerso Slesvicensi Ducatu WILLEBRORDVS aliquique efficere studebant; illud ex apostolis his, a PIPINO missis, in Saxonia Cimbrica, quae iam Holsatia dicitur, duos EWALDOS, (a) SVIDBERTVM (b) et LEBVINVM (c) extricare annos esse, credibile est et verisimile. Licet enim toti-

D

dem

dem verbis relatum non legam, illos in Nordalbingica Saxonia sacra Christiana explicasse, inde tamen hoc quodammodo concludas, quod EGBERTI mandatum utique exigebat, ut quidam ex duodecim illis apostolis Saxonibus Cimbris (ex iis enim originem duxerant Angli Britannici) sanctissimam do-  
ctrinam traderent, (d) de hisce autem, quorum modo men-  
tionem feci, generatim constet, Saxonum apostolos fuisse.

(a) *Centuriatores Magdeburg. Cent. VII. cap. II. p. 35.*

(b) *Io. Mollerus I. ad Hist. Cimbr. P. II. cap. II, §. 6. p. 23. f.*

(c) *Centur. Magd. Cent. VIII. cap. X. p. 815.*

(d) *Conf. §. VII. huius capit. p. 19.*

### §. XI.

Ex modo dictis intelligimus, in praecipuis Cimbriae parti-  
bus, ab apostolis, Francorum Principum auspicio ex Bri-  
tannia missis, religionem Christianam esse propositam. Tan-  
tum autem abest, ut operaे tulerint fructum, ut potius, quo-  
niam parum se hic prodesse posse, ob crudelitatem Regum,  
et duritiem ciuium, sibi persuadebant, ad PIPINVM, cuius  
auspicio, ut supra notatum, hasce regiones petierant, reuer-  
terint, laborum suorum rationem reddituri, et res in Cim-  
bria infeliciter gestas commemoraturi. (\*)

(\*) *Vid. Alcuinus loco ad §. IX. p. 25. citato.*

### §. XII.

Neque tamen ab instituto salutari revocare potuerunt  
pium Principem; sed PIPINVS eosdem apostolos, data fide  
publica, in Fresiam remittit, ut ibi praedicarent euangelium.  
Ciubus etiam vniuersis grauiter interdictit, ne hisce legatis  
aliquid molestiae adspergant. Christianismo autem nomen  
daturis magna pollicetur praemia. (1) Nec solum WILLE-  
BRORDVS, eiusque socii Cimbriam repetebant, et, ut ante,  
sacra interpretabantur; sed et alii non ita multo post sese illis  
sociabant. In iis erat WVNERIDVS, siue VENEFRIDVS, An-

glo-

glo-Saxo, a Pontifice postmodum BONIFACIVS dictus, qui, ob multos a se conuersos paganos, apostolus appellatur Germanorum. (2) Is anno circiter 1004. Fresiam Cimbrorum petit, et a WILLEBRORDO humaniter excipitur, atque per tredecim annos hic locorum multo feroore in emendandis paganis desudat. (3) Hi iam apostoli, initio minori impedimento, quam antea, officio suo fungi poterant. Etenim prae ter varios paganos ciues, ipsa etiam THEODOSINDA, quae anno 1099 nupsit Principi GRIMOALDO filio PIPINI, Regis RADBODI filia, illorum doctrinae fidem tribuebat. Qui vero progressus religionis, mirum in modum RADBODI ex citabat furores. Non solum enim generum clam per alias occidisse fertur; (4) verum etiam, quum PIPINVS anno 1004 fatis concederet, diuini verbi praecones grauiter eum execuisse non dubitandum est. Nam anno 1015. DAGOBERTO, Rege Franciae, cum CAROLO MARTELLO decertante, RADBODVS a parte DAGOBERTI stetit, trans Rhenum circa Agrippinam Christianorum templa diruit, atque cum CAROLO MARTELLO multis praeliis conflictatus est. Vnde successu carebat, quod PIPINO, de tolerandis religionis Christianae propagatoribus, promiserat. (5)

(1) Conf. Trog. Arnkiel l.c. lib. II. cap. II. §. 6. p. 78.

(2) Io. Mollerus, qui in Isag. ad Hist. Cimbr. apostolos Cimbricos, illosque qui illorum vitas conscripsere, consulta opera commemorat, huius Bonifacii non meminit. Integra autem dissertatione de Bonifacio Germanorum Apostolo egit Vir summe reuerend. Henr. Phil. Gudenius, sub praesidio Io. Christ. Boehmeri, nunc reuerendissimi Abbatis Luccensis, Helmstadii 1720. habita. Vbi post multos alios quibz in vita Bonifacii describenda desudarunt, quorum alii laudibus, alii vituperiis in Bonifacium effusiores fuere, laudabilem hanc operam praestitit, ut verum a falso viro bique discernere.

(3) Vid. Casp. Caluarius, in Saxonia inferiori antiqua, germanice edita P. II. lib. I. cap. III. §. 19. p. 125. et Io. Henr. Ursinus de Eccles. German. origine et progressu lib. II. cap. LX. §. 4. p. 88.

D 2 (4)

(4) *Vbbo Emmius lib. IV. Hist. Fres. p. 129.*

(5) *Centur. Magdeb. VIII. cap. III. p. 35. conf. Vrfinus l.c.*

§. XIII.

RADBODO autem a CAROLO MARTELLO deuicto, meliori loco iterum esse coeperunt res Cimbricorum apostolorum. Neque enim dumtaxat victus RADBODVS se non impediturum doctores sacra Christiana docentes; sed se quoque ipsum Christianae religioni nomen daturum, pollicebatur. (a) Igitur CAROLVS MARTELLVS hic parti suae non defuit, sed vocatu suo accersiuit WVLFRAMNVM, Archiepiscopum in Gallia Senonensem, illique Collegas e coenobio Fontanellensi adiunxit, (b) qui in conuertendis paganis vna cum WILLEBRORDO desudarent, Regemque Fresonum in fide Christiana erudirent, promisso illi in memoriam reuocato. Internuntii etiam veritatis Christianae summa fide officium administrauerent suum, et omnia tentarunt, vt et Regi, et illius imperio subiectis, diuinitatem Christianae religionis ante oculos exponerent. Impulsu tandem suo, et cohortationibus crebris anno circiter DCC XIX. WVLFRAMVS efficiebat, vt RADBODVS facrosancto Christianorum fonte tingi desideraret. Iamque alterum pedem habebat in aqua baptismatis, quum quaerendo inuestigaret, vtrum maiores sui caelum, an orcum petiuissent? Quumque a WVLFRAMNO responsum tulisset, procul dubio ad vnum omnes paganos illos in orcum fuisse protrusos, retracto pede, praeoptare se professus est maiorem coetum sequi, quam minorem, aut, vt Crantzius (c) commemorat, malle se cum fortissimis proauis in gehenna, quam cum miseris Christianis in caelo versari. Non ita multo post autem periit miserrime. (d)

(4) *Petrus Saxius in MSCto Germanico citato de Helgolandia, quum de bello inter Carolum Martellum et Radbodium disseruisset: „Carolus, inquit, versamlet wieder ein Kriegsholck, und bat Radbodum aus dem*

dem Reich gejaget, vnd seinen vornehmsten Obristen Poppo mit  
vielen Friesen erleget. Radbodus hat endlich hierauf sich submit-  
tiret, vnd sich tauffen zu lassen versprochen.

(b) Io. Mollerus lf. ad Hist. Cimbr. P. II. cap. II. §. XI. p. 35.

(c) Crantzius lib. II. Saxon. cap. XXVI.

(d) Petrus Saxius in *αὐτογράφῳ de praecipuis gestis Frisiorum Septen-*  
*trionalium lib. I. cap. II. ad A.C. 719.* „Wulframnus, inquit, Epi-  
scopus Senonensis, cooperator S. Willebrordi, in gratiam Phrysa-  
rum a Rege Francorum in Frisia nostram ablegatus, ubi 5 annos“  
docuit. Radbodus primus huius nominis Rex Fresorum, ab ipso“  
in Scroba Sapiana Helgolandiae, quae adhuc ibi conspicitur, ba-  
ptizandus erat, sed retraxit pedem.“ conf. in primis Jonas, Mona-  
chus Fontanell. in vita Wulramni, quae apud Surium in Vit. et Act.  
sanct. Antwerp. ad d. 20. m. Mart. itemque Act. Sanct. Ord. Bene-  
dict. Part. I sec. III. Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad ann. 718.  
p. 79. Cent. Magd. VIII. cap. VI. p. 350. sub indice: casus varii circa  
baptismum. M. Ant. Heimreich Nordfresische Chronick cap. V. p.  
m. 89. qui et de morte Radbodi referunt. Saxius in MSCto ger-  
manico de Helgolandia illi hoc epitaphium dedicat:

O iocus! o dirum! tibi formidabile semper  
Elogium, Radbode, tuum post tristia fata.“

## CAPVT ALTERVM.

### DE RELIGIONE CHRISTIANA A CIMBRIS RECEPTA.

Σύνοψις.

§. I. Connexio cum priori Capite.

§. II. Christiana sacra in Fresia se-  
ptentrionis recepta.

§. III. Ibidem stabilita.

§. IV. In Nordalbingiam introducta.

§. V. Ibidem firmata.

§. VI. Inter varia impedimenta de-  
fensa.

§. VII. Contra diuersos impetus mu-  
nita.

§. VIII. In Iutia Cimbrica vulgata.

§. IX. Ab Haraldo Rege Iutiae a-  
gnita.

§. X. In eius regione propagata.

§. XI. Dissertationis conclusio.

### §. I.

Hactenus vidimus, Cimbris doctrinam vnice salutarem va-  
riis quidem temporum interuallis esse traditam, impe-

D 3 di-

dimenta autem et numero multa, et pondere maxima introductionem sacrorum Christianorum non parum retardasse, ut ex voto succedere non potuerit negotium sacrosanctum. Ad illa iam accedo tempora, quibus diuinae doctrinae praecones feliciori multo successu religionem Christianam in Cimbria propagare poterant, et caelesti praesidio septi, et Regum, Imperatorumque auxiliis adiuti, sensim paullatimque eamdem in has regiones introferre, ut primo in Fresia Septentrionis, deinde in Nordalbingia, tum in Iutia Cimbrica atque adeo in utroque Ducatu Slesuicensi et Holsatico firmas egerit radices.

### §. II.

Etenim RADBODO, qui praeter ceteros tyrannide atque saevitia sua Christianis nocuerat, infeliciter extincto, maxima religionis sanctissimae vulgatoribus commoda accedebant. Neque enim solum regius Princeps filius RADBDI, cui INGERO nomen fuisse perhibent, subitanea horrendaque Parentis morte perterritus, Christiana amplexus sacra, et baptizatus est; (1) verum etiam stimuli nunc addeabantur apostolis, ad sacra Christiana alacriori vehementiorique studio exponenda. Alii in Cimbriam allestabantur meliorum sanctorum propagatores, qui multo feliciori industria hinc et illic diuinis res promouebant, et veritatem agnitam strenue defendebant. Id quod patet BONIFACII exemplo, cuius supra iam memini. Is, quum a Pontifice legatus sedis apostolicae esset constitutus, et in vniuersa Germania Christianam religionem impigre vulgaret, RADBODI potissimum morte excitatus, Frisiam Cimbrorum secundo petebat, illiusque apostolis se se adiungebat. (2) Summis quidem laudibus efferendus non est, propterea quod pontificius legatus, Papae iure iurando promiserat, se in eius auctoritate stabilienda et in Ro-

ma-

manis ritibus propagandis totum desudaturum. (3) Neque tam  
men eiusdem merita plane reticenda, quia verosimile videtur,  
illum hic omnia peruersa dogmata sua non proposuisse, non  
quidem quoniam non voluit, sed quia non potuit. WILLE-  
BRORDVS enim princeps hic erat sacrorum propagator, cu-  
ius auspicio reliqui munere suo fungebantur. Qui quum pu-  
riora traderet sacra, et LVTHERI doctrinae fere conuenien-  
ter, (4) minime omnium permittere poterat, vt BONIFA-  
CIVS cum iis non consentanea doceret. Neque hoc tulisset  
indoles Cimbrorum, qui quasdam doctrinas, vt pontificiae  
rationi conuenientes vulgatas, modis omnibus a se abaliena-  
bant. (5) Tribus autem annis BONIFACIVS apostolis in Fre-  
sia septentrionis commorantibus socias iungebat manus, et in  
destruendis idolorum templis et delubris operam commu-  
nem consumebat. Id enim temporis pagani bene multi sa-  
nioribus consiliis aures praebeuerunt, et crescente Christiano-  
rum numero, varii designati sunt eorum doctores. (6)

(1) *Centuriat. Magdeburg. Cent. VIII. cap. V. p. 347. Vbbo Emmius lib. VI. Hist. Fres. p. 137.*

(2) *V. Casp. Sagittarius in Antiquit. Thuring. lib. III. cap. III. et IV.*

(3) *Errores dogmataque pontificia, quae vulgare annicebatur Bonifacius, prae reliquis late exponunt Centur. Magdeb. VIII. cap. X. p. 79-802. ubi egregie detegunt Pontificis romani artes, qui hoc Bonifacio, tamquam mancipio suo vtebatur ad stabiliendas doctrinas suac rationi status conuenientes. Sigillatim autem Bonifacium Latina lingua vsum esse, vt auctoritatis pontificiae fines extenderet, tuetur Henr. Vagedes in dissert. de propagatione linguae Romanae, profanae sacraeque dominationis arcano. Quam operibus eius academias a Ph. Lud. Pastoir Rintelii 1703. editis insertam deprehendas diss. II. §. IV. p. 31.*

(4) *Conf. haec ipsa dissert. cap. I. §. VIII. p. 22. 23.*

(5) *Egregio exemplo, et hoc omnino faciente, id dotet Vir summus Marciphus Chemnitius Exam. Concil. Trid. p. m. 508. „Inter capita,“ in. 66*

„inquit, reformationis ecclesiarum in Germania per Bonifacium non  
 posse numerus erat lex coelibatus, seu prohibitio coniugii sacerdotum.  
 „Sed quia Bonifacius animaduertierat Germanos a vages libidinibus  
 abhorrere, amantes vero, reverentes et renaces esse legitimi foe-  
 deris coniugalis: sicut ipse Bonifacius apud Nuclatum Tomo se-  
 cundo, pagina prima scribit; In antiqua Saxon a (erat autem  
 haec Holsatia siue Saxonia Cimbrica) si virgo in paterno domo stu-  
 prata, vel matrona fuerit adulterata, strangulatam cremant,  
 et super fossam sepulturae corruptorem suspendunt, aut cingulo te-  
 nus vestibus succisis flagellant, castaeque matronae pungunt de-  
 villa in villam, donec interimant scilicet. Pontifex igitur non ausus  
 fuit sacerdotibus Germanis primo aditu legitimum coniugium  
 prohibere, et reliq. conf. ipse Baronius in annal. Tom. IX. ad  
 ann. 745. n. IX.

(6) Sagittarius l.c.

§. III.

Quum hos progressus in Fresia Septentrionis faceret reli-  
 gio Christiana, in Cimbria etiam latius disseminabatur, atque  
 tenella ea et veluti herbescens magnis conatibus communie-  
 batur. BONIFACIVS a pontifice iam Mogontiacae ciuitati,  
 metropoli Germaniae, Archiepiscopus constitutus (*a*) medio  
 septimi saeculi, cum magno comitatu, tertium in Fresiam Cim-  
 brorum venit, ubi anno supra septagesimum quinto et quin-  
 quagesimo, cum quinquaginta discipulis occisus est, a qua mor-  
 te illum non liberabat reliquiarum apparatus, quem secum  
 ferebat, et interfectoribus in se ruentibus ostentabat. (*b*) Inter-  
 empto BONIFACIO, in doctrina sacra apud Cimbros vulgan-  
 da strenuam nauauit operam WILLEHADVS natione An-  
 glus. Is vel ipsam mortem pro CHRISTO subire paratus, pro-  
 perauit in Fresiam, ubi BONIFACIVM occisum esse inaudie-  
 rat. Ingressus autem prouinciam, spe sua excidit. Neque  
 enim, Deo animos moderante, Frisiae habitatores ferreos ac  
 sanguinarios, sed cereos, mansuetos disciplinaeque Christianae

capa-

capaces reperit. E quibus aliquot millia sacro fonte abluta Seruatori nostro vindicauit, omnique prouincia cum discipulis suis perlustrata, idola defregit. Non defuere tamen, qui vitae Willehadianae insidias struerent, sed irrito conatu. (c) In eadem palaestra cum WILLEHADO LVDGERVS impigre pariter desudat, et anno 10CCLXVIII. circiter in Helgolandia magno feroore praedicat CHRISTVM, et breui temporis spatio totam insulam in consensum trahit, praecipuumque idolum ciuium illorum PHOSETVM destruit. Quumque innumeri, conspecta clarissima Euangeli luce, caecuti-re desiissent; (d) ipse etiam Princeps militiae et illius insulae filium suum LANDRICVM LVDGERO sancto baptismatis fonte tingendum offert, qui postmodum in Fresonum gente religiosus fuit presbyter. (e)

(a) *Vid. Annales Francorum Fuldenses Marquardi Freberi rerum Germanicarum scriptoribus a B. G. Struuio editis Tomo Imo inserti p. 3.*

(b) *Petrus Saxius in MSto de rebus gestis Fresorum Septentrionalium lib. II. cap. I. „Penefridus, inquit, Bonifacius docuit in Frisia nostra, ubi et martyrium passus est A. C. 755.“ Cum illo autem quinquaginta et amplius commilitones acerbissima morte periisse refert M. Adamus Brem. Hist. Eccl. lib. I. cap. VIII. p. 3. conf. Sagittarius l. c.*

(c) *Io. Adolph. Cypraeus in Annalibus Episcoporum Slesvicensium p. 2. conf. Adamus l. c. cap. IX.*

(d) *Saxius l. c. lib. I. cap. II. ad A. C. 768. „S. Ludgerus sive Luderus,“ inquit, Episcopus Monasteriensis, Apostolus Saxonum, et Confiliarius Wittichindi, post conuersionem a Carolo M. constitutus, tendit in regnum Frisicum A. C. 768. In conuertenda Helgolandia sedulo laborauit vir sanctus, et breui temporis spatio hoc perfecit. Phosetice templum euertit, et omnes fideles baptizauit.“ Idem tradit Saxius in MSto germanico de Helgolandia, ubi etiam quid Phosetum sic exponit. „Phosetum, inquit, Phoseta oder Fosta ist der vornehmste Abgott gewesen, welcher in allen Frisischen Ländern, vornehmlich in Medenblick und Phosetanischen Landen sehr hoch und werth gehalten wird, daß auch Helgolande anfänglich nach ihm ist Fosteland.“*

„land genennet worden. Imgleichen ist auch Iupiter vnd Vesta gebührlich verehret worden, und hatten diese Abgötter auf ihre Brust ein Schild, vnd auf dem Haupt einen Helm, an Armen und Beinen waren sie nackt, und auf den Rücken hatten sie Flügel.

(e) Auctor Anonymus in vita Ludgeri cap. XVIII, conf. Trog. Arnkiel l.c.  
p. 90.

## §. IV.

Interim, quum hac ratione in Fresia Septentrionis res Christianae meliori loco esse inciperent; CAROLVS tum Francorum Rex, Princeps sine controuersia maximus, qui postmodum Imperatoris et MAGNI induit nomen, maiorum suorum exemplo excitatus, emendationem sacrorum apud Saxones, Fresis vicinos, in primis pensi habebat. Ic-  
circo habita Wormatiae synodo Anno 1000 LXXII. quaerendo  
inuestigauit, quanam potissimum ratione Saxones paganos a fabulosa religione ad veram traduceret? Ratum habitum est,  
bello quod Saxonibus imminebat, illos sub iugum redigen-  
dos, et hoc pacto eorum saluti aeternae consulendum. Ingenti  
igitur congregato exercitu eodem anno in Saxoniam pro-  
fectus est, et multos caelestis disciplinae defensores, verita-  
tisque Christianae internuntios secum duxit, ne deessent, qui  
victis Saxonibus statim Christianae religionis veritatem ante  
oculos exponerent. (1) Nolo iam in describendo hoc bello  
Saxonico maxime illustri, et per tres et triginta annos duran-  
te versari, nec qualia incrementa aut detrimenta Francorum  
Rex apud Saxones ceperit, commemoro, quoniam omnes  
scriptores Francici et Carolingici copiose et pluribus verbis de  
hoc bello edisserunt. (2) Neque enim CAROLVS solum vi-  
tore gladio et vi sua sacra obtrudebat Saxonibus, verum et-  
iam opera et studio fideli WILLEHADI anno 1000 LXXVI. vte-  
batur, qui in Saxonia Cimbrica cum LVDGERO et collegis  
reliquis discipulisque suis per septem annos usque ad annum  
duo-

duodecimum belli Saxonici, hoc est 100CLXXXIII. munere sibi demandato peregregie functus est, multis millibus paganorum baptizatis. Ex illo WITTEKINDVS [hic, et ALBION, patrui illius filius, sumini erant in hoc bello Duces, quorum ille Saxo-num Suderalbingorum, hic Nordalbingorum Princeps diceba-tur(3)] omnes machinationes adhibebat aduersus Christianos, Francorum terminis ad Rhenum vsque vastatis. In qua vexatio-ne et afflictione discipuli WILLEHADI quidam Bremae, alii per Fresiam, reliqui trans Albim dispersi leguntur. Vnde defensor et propugnator causae DEI WILLEHADVS maius adhuc lu-crum exspectabat, atque secundum praeceptum Euangelicum de ciuitate in ciuitatem fugiebat, sociisque laboris sacrosancti huc illuc dimissis, cnam LVDGERO, in monasterium per biennium se abdebat, precibus fusis pro insectatoribus suis, et pro gente Saxonum, ne iactum apud eos semen verbi diuini noxio lolio extingueretur. (4) Quas quidem preces DEVS audiuit, et vertente biennio caput iterum in Saxonia extulere sacra Christiana', maximaque cepere incrementa. Etenim quum anno 100CLXXXIV. CAROLVS Saxones iterum deui-cisset, et WITTEKINDVS atque ALBION in Nordalbingiam confugissent, CAROLVS ab hisce Ducibus praeuia amica in- uitatione petiit, vt se conuenirent. Hi autem, quum Regiae allestationi haud fiderent, CAROLVS per legatum, cui A-MALVINO nomen erat, iis salutis obsides misit. Quo facto Attiniacum, vbi id temporis Rex Francorum agebat, petiere, ibique a Rege honorifice excepti, se totos ad illius gratiam contulere, et deuicta Saxonia in prouinciam redacta, atque in Episcopatus diuisa est. Vterque autem Saxonum Princeps et WITTEKINDVS et ALBION facti catechumeni, satisque a disciplina CHRISTI instructi, a LVLLO Archiepiscopo Mo-guntino baptizati sunt, cum multis magnatibus, praecipuisque

E 2

Saxo-

Saxoniae viris, et GEVA, WITTEKINDI coniuge, Sorore Regis Daniae GOTRICI. Ipsi autem WITTEKINDO sponsor fidei et sacrae initiationis arbiter adstitit CAROLVS, et ALBIONI Ducis Nordalbingorum CAROLI comites et praefecti. GEVAE denique susceptrix erat CAROLI coniux FASTRADA. Neque CAROLVS eos dumtaxat donis magnificis cohonestabat, verum etiam Saxonibus, qui Principum exempla sequabantur, varia praedia beneficiaria elargiebatur. (5)

- (1) Eginhart in *Annal.* ad ann. 772. Regino lib. II. *Chron.* ad ann. 772. p. 25. Lambertus Schnaffenburgensis ad eundem annum p. 153. conf. Egil in vita Sturmionis Saxonum apostoli, cuius verba, ut lusulentum bac de re documentum, M. Z. Boxhornius profert *Hist. uniuers.* p. 440.
- (2) Conf. Schurzleischius in dissertatione de Wittekindo Magno differentia. bisterico-politicis inserta.
- (3) Crantzii Metropolis lib. I. cap. I. p. m. 5. Cap. IV. p. 11. Cap. XII. p. 25.
- (4) Adamus Brem. *Hist. Eccl.* lib. I. cap. IX. p. 3. Historia Archiepiscoporum Bremenium, quae extat inter Lindenbrogii scriptores rerum septentrionalium a Celeb. I. A. Fabricio editos p. 69.
- (5) Eginhart in *Annal.* ad ann. 785. Regino Chron. lib. II. ad eundem annum p. 29. Adamus l.c. Crantzii Metrop. lib. I. cap. IV. p. 11. aliisque plures. Conf. Celeb. S. F. Hahnii Reichs und Kaiser Historie P. I. cap. I. §. 19. p. 34. seq.

### §. V.

Coniectando facile possumus assequi, Principis Holsatii ALBIONIS animo caelesti luce completo, atque ardore verae pietatis inflammato, et sic rebus CAROLO ad vota fluentibus, religionem Christianam in Saxonia firmiores egisse radices. Neque enim Francorum Rex intermittebat quidquam, quod ad tutandam et amplificandam eamdem religionem in Saxonia ullo modo facere posse videbatur. Proinde eodem anno supra septingentesimum quinto et octogesimo, WITTEKINDO et ALBIONE a CHRISTI causa iam stan-

tibus,

tibus, Paderbornae in Westphalia celebrabat synodum, ad statum ecclesiarum Saxoniarum componendum, et varia ratione adnitezatur sacra Christiana ibidem communire atque stabilire. LVDGERVS etiam et WILLEHADVS, antea in exilium fugati, Ducibus Saxoniae CHRISTVM profitentibus, cum discipulis suis in Saxoniam reuertebant, a Rege Francorum CAROLO sibi concredita munera et officia exequabantur, (a) et ubique sacra sua feliciori multo successu proponebant, ut, anno vertente altero, omnes Nordalbingi Saxones, atque illi ex Fresis, qui hucusque CHRISTO nondum dederant nomen, se Christianos fieri velle promitterent. (b) WITTEKINDVS enim et ALBION, qui apostolorum instituta quondam retardarant, nunc omnibus modis promouebant. Nec enim tantum de ALBIONE relatum legimus, quod religionem propagari, et regionem suam ab idolis purgari curaverit; (c) verum etiam de WITTEKINDO constat, eum horum apostolorum institutione usum esse, eosdemque amore prosequutum. Id etiam caussae erat, cur WILLEHADVM, quum Wormatiae religionis caussa CAROLVM conueniret, Imperatori stiterit, ut eum consecraret Episcopum Bremensem. (d) Quod, maximo Cimbriae emolumento, factum, et WILLEHADI curae atque tutelae demandata est vniuersa Nordalbingia, eique vicina Fresia Septentrionis! (e) Qua quidem dignitate anno 10CC LXXXVIII. auctus WILLEHADVS, coepit maiori sanctitate res sacras tractare, atque saluti aeternae Cimbrorum quibuscumque rebus prospicere et consule. re. (f) Effecit quoque, ut existimatio ac dignitas Christianae religionis hic multum adoleuerit. Dicitur eodem Episcopo Widdingstede in Dithmarsia anno 10CC XC. templum nouum exstructum, Christianisque sacris dedicatum esse. (g) Quod etiam Meldorpi euensis verosimile est, quum constet, WIL-

E 3

LE,

LERICI tempore inibi ecclesiam iam fuisse constitutam. (h)  
 Diu autem WILLEHADVS huic muneri sacro non praefuit,  
 qui duos post consecrationem suam annos, mensibus tribus  
 adiectis, quum in Fresia Septentrionis ageret, fatis concessit,  
 funereque Bremam elatus, in Basilica S. Petri, quam ipse ae-  
 dificarat, sepultus est. (h)

(a) V. Gasp. Caluörii *Saxonia inferior antiqua* P. II. lib. II. cap. X. §.  
 88. p. 226.

(b) Cypraeus in *annal. episc. Slesu.* p. 3.

(c) *Centuriat. Magdeb. Cent. VIII. cap. II.* p. 26.

(d) *Caluörius l.c.*

(e) *Vid. Diploma Carolinum super fundatione ecclesiae Bremensis, quod  
 praeter alios exhibet Adamus Brem. Hist. Eccl. lib. I. cap. X. p. 4.*

(f) *Cypraeus l.c.*

(g) *M. Ant. Heimreich Walther Dithmarische Chronick cap. IV. p. 36.*

(h) *Adamus Brem. l.c. cap. XII. p. 5. Heimreich l.c. et cap. VI. p. 43.*

(i) *Adamus l. c. cap. XI. p. 5. Historia Archiepiscoporum Bremensium,  
 quae extat inter Lindenbrogiis scriptores citatos p. 69.*

## §. VI.

WILLEHADO vita defuncto, variae res Christianae religio-  
 nis exercitio moras interponebant. Saxones enim, vel ob tri-  
 butorum exactionem, vel ob praesidia a CAROLO imposta,  
 quae genti, diu libertati assuetae, valde molesta videbantur,  
 ad rebellandum in Nordalbingia incitabantur. Et ut alios fa-  
 etos motus taceam, anno 10CCXCVIII. praefectum CAROLI  
 in Holsatia, eiusque ad Regem Daniae legatum, Comitem  
 GOTTSCHALCVM trucidabant, et contra foederis socios  
 CAROLI inimicissime se gerebant. (i) Nec minorem cuncta-  
 tionem iniecere Danorum Vandorumque incursiones cre-  
 brae et feroce, qui ferre non poterant, religionem Christia-  
 nam in vicinia coli. In primis autem GOTFRIEDVS, qui et  
 GOTRICVS dicitur, Rex Iutiae, diuinae legis praedicatio-  
 nem retardabat, Saxones enim sibi efficiebat tributarios,

et

et Fresiam subigebat. (2) Quae tamen impedimenta restinguere non poterant ardorem caelestis veritatis internuntiorum, quo minus eamdem proponerent, et vterius in Septentrione propagarent. Etenim WILLERICVS, WILLHARIVS etiam dictus, Canonicus Bremenfis, qui, sub WILLEHADI auspicio, iam antea sacra nostra hic diligenter curauerat, eo demortuo, eadem probe stabiliebat, et nouos diuinæ scientiae alumnos allestabat. Neque vero CAROLVS MAGNVS hic suis partibus deerat, sed prudenti consilio causam DEI promovebat. Quum enim animaduerteret optimus Caesar, tributa sibi a Saxonibus ferenda, multarum esse turbarum causam, vt, hoc etiam remoto impedimento, illorum sempiternae saluti consuleret: Salzae equestrem ordinem Saxonum congregauit, ubi hac proposita conditione Saxones sibi deuinxit, vt, relicta pagana superstitione, salutarem de CHRISTO doctrinam amplecterentur. Censum autem atque tributum iisdem remisit, si decimas praesulibus dependerent, et diuini verbi interpretibus. (4) Ex illo, et ore, et mente sincera, Christiana sacra profitebantur Saxones, et quo magis ab illis prius fuerant alieni, eo impensius nunc colere incipiebant.

(1) Eginhart in annal. ad ann. 798. Regino lib. II. Chron. ad annum eundem. Crantzii Metrop. lib. I. cap. XIII. p. 27.

(2) Cypraeus in ann. Slesuic. p. 5. add. C. S. Schurtzfleischii Res Danicae, quae inter eius disputationes Historico-ciuiles Lipsiae 1699. editas, quartum et decimum obtinent locum, §. II. ubi de hoc Gotfriede late agit, eumque inter Reges Daniae proprie sic dictos refert, neque tamen obseruat, quod Iutiae tantum Rex fuerit. Id quod solide delarauit Thorm. Torfaeus in serie dynast. et Regum Daniae lib. III. cap. XV. p. 404. s. conf. viri illustris Andreae Hoiéri kurtzgefasste Dännemarkische Geschichte P. I. cap. II. quaest. 15. p. 16.

(3) Adamus Brem. Hist. Eccl. lib. I. cap. XII. p. 5.

(4) Vid. Eginhartus in vita Caroli Magni cap. VII. Poeta Saxo in annib[us] Caroli Magni ad ann. 803, ubi Saxoniam in provinciam imperij

Fran

Francici redactam esse referunt. Quod ita exponendum est, cum asserta libertate societatem inter utrumque Francorum, et Saxonum populum initam esse; secundum Schurtzfleischium in Wittekindo M. §. XIII. not. (cc) Struuium in syntagm. Hist. Germ. Diff. VII. §. XXII. not. (†) Pfeffingerum in Vitriario illustrat. lib. I. Tit. II. §. 10 - 20.

## §. VII.

Quum hac ratione effecisset CAROLVS M. vt in Nordalbingia, ciuium suorum consensu, doctrina CHRISTI inualeret, ne sacrosanctum hoc exercitium iterum impediretur itidein curauit. Eodem enim anno WILLERICVM Episcopum constituit Bremensem, quod antea illi non licuerat, quoniam, mortuo anno DCCXCI. WILLEHADO, Ecclesiam Bremensem, cui Nordalbingensis erat concredita, per duodenos annos ob varia impedimenta Praesule summo carere oportebat. Qua dignitate auctus WILLERICVS, maiori studio et feliciori successu suas partes peragit, atque in Nordalbingia, et prae caeteris in Dithmarsia in oppido Milinthrop nunc Meldorp dicto, ecclesiam iam constitutam conuenit. Templa vbiique per Episcopatum suum dedicat, et praecones verbi divini commemorabili pietate et doctrina conspicuos illis praeficit.<sup>(a)</sup> Et ne ex ipsis Nordalbingiae ciuibus Christianae doctrinae propagationem forte impedirent, et Iutarum insti-tu rebellionem pro more excitarent, CAROLVS M. anno DCCC IV. armata manu in Holsatiam contendit, multa millia Nordalbingorum cum vxoribus et liberis transtulit in Franciam, et huc atque illuc multifariam dispergiuit, vbi per septennium commorati, et ab EGBERTO patriae restituti sunt, Obotritis interea et Vandalis derelictas sedes occupantibus.<sup>(b)</sup> Sed et omnes neruos in eo contendit, vt Saxones et Frisios potestati Iutiae Regis eximeret, in quem quum intenderet bellum, res tamen per utriusque partis consiliarios ita transacta est, vt in posterum fines Daniae et Saxoniae Eidera termina-

ren-

rentur. (c) Non ita multo post anno DCCC VIII. in Albis fluuii  
ripa duo castella contra Slauorum incursiones construxit.  
Quorum vnum a Caesareo legato ODONE excitatum fuisse,  
praesidium vero illi impositum e Saxonibus orientis, scripto-  
res referunt, (d) alterum autem Wedelae prope Hamburgum  
esse conditum verosimile est. (e) Anno DCCC IX. itidem ad  
Storam in Holsatia castellum, ECKBERTI opera aedificauit,  
ut Christianos muniret aduersus GOTFRIEDI Regis Danici  
tyrannidem, et in militum Christianorum tutelam commisit.  
Qui quidem locus id temporis Essefeld dicebatur, et modo  
Itzehoa audit. (f) Quum autem Vandali anno DCCC X. de-  
struerent castellum Hamburgi exstructum; CAROLVS M. il-  
lud anno DCCC XI. instaurauit, (g) atque templum inibi condi-  
dit, proselytis, qui sacra nostra amplexi erant, in Holsatia in-  
seruiturum. Ad id inaugurandum AMALARIUM Episcopum  
ex Gallia euocabat, parochia HERIDAGO concredita, qui  
et Archiepiscopus Hamburgensis euasiisset, nisi excessus CA-  
ROLI MAGNI impedimento fuisset. (h)

(a) *Adamus Brem. l.c. Historia Archiep. Brem. n. II. p. 70.*

(b) *Eginhartus et Regino ad ann. 804. Adamus l.c. Crantzius Metrop. lib. I. cap. XV. p. 30. conf. Celeb. S.F. Hahnii Reichs vnd Kayser Hi-  
storie P. I. cap. I. §. X. p. 36., ubi obseruat, hanc translationem ad  
ann. 803. minus recte a quibusdam referri.*

(c) *Cypraei annal. Stesu. p. 5.*

(d) *V. Petri Lambecii Origines Hamburgenses lib. I. p. I. Lindenbrogi  
scriptor. citatt. additae.*

(e) *V. Trog. Arnkiel l.c. p. 139.*

(f) *Eginhart et Regino ad ann. 809.*

(g) *Lambecius l. c. p. 2.*

(h) *Testis est omni prouocatione maior Caesar Ludouicus Pius in diplo-  
mate de Fundatione Archiepiscopatus Hamburgensis, quod integri-  
tate suae restitutum exhibet vir summe Reuerendus Nicol. Staphorst  
in historia ecclesiae Hamburg. Partis I. vol. I. cap. III. p. 26. seqq.  
conf. Idem l.c. cap. II. p. 10. seqq. et Io. Möllerus Isag. P. II. cap. III.  
§. 3. et 4. p. 37. seqq.*

## §. VIII.

Ex iis quae haec tenus dicta sunt constat, in Nordalbingia, quae iam Holsatia dicitur, et Fresia Septentrionis, hoc est Slesuicensis Ducatus parte, quae ad occidentem pertinet, tam firmas egisse radices Christianam religionem, ut non ciues solum eam coluerint, verum etiam vicinorum paganorum insultationes sanctum hoc exercitium praepedire amplius non potuerint. Eodem autem splendore nondum eminebat in parte Ducatus Slesuicensis septentrionem versus, quam Iutiae Reges tum tenebant. Non defuere tamen, qui, in hac etiam Cimbriae parte, CHRISTO nomen eodem dedere tempore, quo vicini Saxones et Fresi. Atque ex ipsis Iutiae ciuibus **TROGILLVS ADELFAIVS**, qui per varias regiones iter fecerat, et in Germania Christiana sacra amplexus erat, quum patriam petiit circa medium saeculi octauum, non solum purioris doctrinae passim spargebat semina, eamque amicis suis felici successu exponebat; verum etiam **GORMONI**, Regi Iutiae, eiusdem declarabat veritatem, qui hunc ADELFAIVM plurimi fecit. Sed morte et Regis GORMONIS, et diuini huius praeconis sacra incopta non parum retardabantur. (\*) Sequentे enim aetate praecipue Christianis impedimento erat tyrannis Regis **GOTFRIEDI**, qui Iutiam tempore CAROLI MAGNI moderabatur. Quo anno 1000. a suis satellitibus occiso, magnum introductionis religionis Christianae remotum obstaculum est, et non ita multo post maximis auctibus creuit. **LVCOVICVS** enim PIVS ad HARALDVM Iutiae Regem anno 1000 xv. mittit **EBBONEM** Archiepiscopum Rhemensem, pacis initurum legem; qua occasione is complures Cimbros Iutas CHRISTO vindicat. Ea res, quum fauste ac prospere eueniret, desiderio flagrabat totam vitam religionis promouendae negotio impendere. Quocirca idem **EBBO**, legatione hac finita iterum in Iutiam venit cum **HARALDVM**.

LIT-

LITGARIO, vt dedita opera paganorum saluti inuigilaret. A pontifice etiam PASCHALI legatus apostolicus ad Danos constitutus est, et Caesar castellum prope Hamburgum situm, et Wela siue Wedel appellatum, cuius supra iam memini, illius praesidio commisit, quo necessitate addactus pro sua tutela vteretur. Multum ille operaे insumfit in superstitionem paganorum emendandam, effecitque, vt sensim et pedetentim Christiana sacra corroborarentur. (\*\*). Id quod praecipue euenit anno 1000 XXVI.

(\*) *Arrild Huitfeld Danmarkis Rigit Kronicke Tom. I. p. 10. n. 50. Eiusdem Bispe's Kronicke p. 1. M. Paul. Poulson Biblioth. Aarbusiens. p. 2. conf. Thorm. Torfaeus l. c. lib. III. cap. XV. p. 403. collat. cap. VIII. p. 331. et 332.*

(\*\*) *Rembertus in vita Ansgarii, quam magis emendatam sicut vir summe reuer. Nic. Staphorst l. c. Cap. XII. p. 96. conf. Petrus Lambecius in notis ad h. l. p. 206. Adamus Brem. lib. I. cap. XIV. p. 6. Io. Möllerus l. c. P. II. cap. III. §. 6. p. 44. M. Paul. Poulson l. c. p. 3.*

### §. XI.

Quum enim HARALDVS, (1) qui summae rei in Iutia praeerat, e regno suo electus, cum vxore sua et fratre ERICO, et quam plurimis Danis Moguntiam ad LVDOVICVM PIVM configueret, ab eoque auxilium peteret, regnum suum recuperaturus, Caesar et ipse, et per alios HARALDVUM horatus est, vt Christianae religioni nomen daret, quo Christiani alacriori studio ei subuenirent. Quibus votis pii Imperatoris satis fecit, et cum familia sua in templo S. Albano dicato baptizatus est. Sponsor ad sacrum fontem HARALDI LVDOVICVS, testis autem baptismatis illius coniugis erat Imperatrix IVDITHA. Quum eadem cum LVDOVICO veneraretur sacra HARALDVS; Caesar eum suo regno restituturus, requirebat virum doctrina et pietate insignem, qui HARALDUM in Christiana religione institueret, eamdemque in Iutia propagaret. Iccirco, conuocatis praecipuis diuinuarum litterarum

rum interpretibus, quaerendo inuestigauit, quemnam potissimum huic muneri idoneum censerent? Hi quum exploratam cognitamque haberent barbaram Danorum illius temporis crudelitatem, ambigebant, vtrum aliquis has partes vellet suscipere. ANSCHARIVS tamen, qui ab Abbe Coenobii Corueiensis WALO prae reliquis dignus habebatur, hac sibi oblatâ provincia, diuino spiritu accensus, iuxta atque AVTBERTVS eiusdem coenobii monachus praecipuus, in corrigenda paganorum superstitione se multum opera curaeque posituros pollicebantur. Quocirca Caesar addidit stimulos, currentesque incitauit, et cohortatus est, vt in primis Regem rerum caelestium scientia augerent, ne ad errores semel derelictos recideret. Curauit etiam, vt ad munus et iter apostolicum necessaria iis subministrarentur, et iussit, vt cum HARALDO itineri Iutico se darent. (2) Ipsi autem HARALDO, quem pacificatione potius, quam vi regno suo reddebat, (3) vt sine impedimento securus regnaret, trans Albim regionem illi tradit, quo urgente necessitate se reciperet. (4)

(1) *Hic Haraldus quibusdam scriptoribus dicitur Herioldus. Perpetuum autem cognomen Klagus aut Klakus a Cypraeo in annal. Episc. Slesest. p. 6. seqq. et ab aliis, communifere errore illi induitur. Quod cognomen ad hunc non pertinet, sed ad alium Haraldum, qui Comitis dignitatem in Iutia vel in Holsatia gessisse, et pater celeberrimae Thyræ Dannebod dicitur. Illum Haraldum Klakum Comitis dignitate postmodum se exuisse, ac in Galliam profectum Christiana suscepisse sacra, nec umquam in Daniam reuertisse tradit Olafi Trygguini vita. Id quod nos docet Thorm. Torfaeus l.c. p. 416.*

(2) *Nituntur haec fide Remberti, Anscharii discipuli, scriptoris eiusdem aetatis, qui haec commemorat in vita Anscharii cap. VI. et VII. p. 91. seqq. Eadem recensent Saxo Grammaticus Hist. Dan. lib. IX. num. 51 p. 175. seq. Gualdo in vita Anscharii apud Staphorstium l. c. cap. XII. seq. p. 140. Adamus Bremenensis lib. I. cap. XV. p. 6. Sigebertur Gemblacensis in Chron. ad ann. 825. Crantzius Metrop. lib. I. cap. XIX. p. 36. Cypraeus l.c. p. 7. seq. aliisque. Alter autem Haraldus-*

raldianam conuersionem describit vita Olafi Trygguini, Saxonis aequalis, et maioris plerumque accurationis, quam ex binis Arnae Magnaei membranis citat Torfaeus l. c. lib. III. cap. XV. p. 405. seq.  
 „Tum Rex, inquit, factus est vir quidam nomine Haraldus. Is quinquennium regnauit antequam cum Reinfrido Godefridi filio praelio decertaret. Eo praelio Haraldus, obtinendae victoriae gratia voto se obstrinxit, recipiendi cum vniuersa familia sacri baptismatis, si saluus euaderet. Itaque victor factus, paullo post cum uxore sua et fratre (fratris sui filio) Hareco, et magno Danorum comitatu ad Ludouicum Caroli M. filium, qui tunc Imperator erat, profectus est, sacroque se baptismate cum suis omnibus ablui fecit, Moguntiae sedente Paschali Pontifice. Cum quo consentit Snoro Sturleson Chron. Norweg. p. 113. Quorum scriptorum auctoritate nixus clariss Frider. Arnkielius in libro cuius index: Rettung des Nordischen Christenthums wider Gottfried Arnold, cap. I. §. 5. p. 4. seq. contra Arnoldum propugnat, Haraldum non victimum, sed victorem Christianae religioni nomen dedisse. Quum autem nullam Remberti mentionem inferat, nec ostendat, quare huic testimonium nullo loco sit habendum, mibi non sunt caussae, cur a Remberti, scriptoris aetate comparis, partibus discedam. Interim tamen et alteram sententiam hic adferendam, nec plane reiiciendam duxi, quoniam scriptores grauissimi procul dubio non sine testimonio antiquioribus eam memoriae prodidere.

(3) Vid. Vir illustris Andr. Hoierus l.c. p. 19.

(4) Rembertus l.c.

### §. X.

Quum igitur HARALDVS cum sua familia ad regnum suum rediisset, in Iutia Cimbrorum sacra Christiana meliori loco haberi ceperunt. Simul atque enim fines attigerunt Slesuenses, laeta et fortunata siebant initia docendi populum, eumque vero DEO consecrandi. HARALDVS auxiliatrices fert manus, Christianamque religionem profitentes tuetur, (a) et templum Hedebuiae Slesuigae anno 1000XXVII. aedificat. (b) ANSCHARIVS quoque omni fide suas suscipiebat partes, in aede recens condita verba publice faciebat, et doctrinam pro-

ponebat multo puriorem, quam deinceps Pontificis Romani opera euasit, et vnicē per meritum IESV CHRISTI homines saluos fieri posse serio inculcabat. (c) Neque vero solum docendo paganos ad sacra allectabat, sed et exemplo suo multos emendabat, et miraculis, quibus eum sua communiuisse dogmata, omniumque admirationem excitasse memoriae proditum est. Multi enim paganorum, quum idolis pro salute sua sacrificium frustra se fecisse, ideoque contemtioni exposuisse animaduerterent, ad DEI misericordiam confugientes, Christianis se deuouebant, salutifero fonte abluti, non solum nouos animis induebant mores; sed etiam pristinos statim exuebant morbos, caelesti gratia diuinitus adspirante. (d) Quo pacto et CHRISTI gloria, et numerus Christianorum creuit mirifice, quos ANSCHARIVS ad ripam fluminis Sliae lustribus et sacratis aquis tingebat. (e) Ne etiam deessent interpres veritatis caelestis; qui Christianos instituerent, alios hinc inde sibi adsciuerunt administratos et adiutores. Pueros gentis Iuticae ab HARALDO sibi in disciplinam traditos fide sincera erudiuere, et eo contulere operam suam, vt non solum illos, sed etiam alios, e captiuitate redemptos vera imbuerent pietate, ideoque scholam siue ludum iam primo biennio aperuere. Suecis autem legatos ad Imperatorem LVDOVICVM mittentibus, ab eoque potentibus verbi caelestis praecones, misfu Caesareo ANSCHARIVS in Sueciam contendit. In eius locum a Caesare in Iutia suffectus est GISLEMARVS, vir fide et operibus bonis probatus, atque diuini ardoris plenissimus, qui e crudibus animis superstitionem paganorum radicitus extrahere annis est. (f) ANSCHARIVS autem e Suecia redux LVDOVICVM conuenit, illique exponit maxima religionis Christianae in Aquilonaribus regionibus incrementa. Is, vt latius et iamnunc diuulgaretur optat, et habitis anno DCCC XXXI. in ducatu Luxemburgensi comitiis, Hamburgum metropolin consti-

constituit Danis, Suedis et Slavis, aliisque finitimiis populis, eique ANSCHARIVM Archiepiscopum praeficit, ut maiores fierent sanctissimae doctrinae accessiones, illiusque studium magis magisque ingrauesceret. (g)

(a) Petrus Saxius in MSto ἀυτογραφω de rebus gestis Frisorum Septentr. lib. II. cap. I. „Haraldus, inquit, semina religionis Christianae in Chersoneso Cimbrica sparxit.“

(b) Cypraeus in annal. Slesuic. p. 6.

(c) Pontificios errores, et quam modo ecclesia Romana profitetur doctrinam maioribus nostris esse traditam, quum CHRISTO darent nomen, pontificii doctores praepostere tuentur. Caesar Baronius hic argumentum se inuenisse opinatur, quod in opprobrium Lutheranus obiciat, et vehementer illud urget in annal. ad ann. 723. Idem saxum voluunt Henschenius in Actis sanctor. ad d. 3. Febr. n. 16. Io. Ad. Cypraeus circa finem dedicationis annal. Slesu. praefixa, Nicol. Helduaderus in dedicatione libri cuius index: Kurtze Beschreibung der Stadt Schleswig, item in praefatione ad siluam chronol. Circuli Baltici, aliique. Sed nec defuere, qui eos pro virili oppugnarunt, et solide demonstrarunt, id temporis puriorem, et innumeris, sequenti aetate demum introductis, erroribus pontificis immunem doctrinam in Cimbria primum traditam fuisse. Bugenhagius, inclitus in hisce oris rei sacrae stator, in scriptione, Vitebergae 1556 die 25. Martii, quum Eitzenio, Hamburgensem tum Praesuli, summi in Theologia conferendi essent honores, publicata defendit, fontes doctrinae Christianae Anscharii tempore adhuc mundiores fuisse melioresque, et castimoniam suam pristinam, crescente pontifica tyrannide amisisse. Quod quidem argumentum latius persequutus est vir Magnificus D. Henricus Muhlius in oratione Kilonii 1718. habita, eius summa exhibuit in dissertatione, recitationibus in Ad. Clarenbachii confessionem doctrinae 1727. praemissa lit. A. 2 seq. Sigillatim Baroni se opposuit Casp. Sagittarius in Antiquitt. Thuring. lib. III. cap. VIII. n. VIII. p. 158. Conferri quoque merentur Io. Henr. Vrsinus de Eccles. germ. orig. et prog. append. P. I. num. 8. p. 142. seqq. M. Trog. Arnkiel l. c. lib. I. cap. XI. p. 57. seq. M. Io. Christ. Jung-Iohannis dissertatio de vita et doctrina Hrabani Magnentii Mauri, praeside viro summe Venerando Io. Franc. Buddeo Ienae 1724. defensa, et

praef-

praeter illos alii, vnde de doctrina illius aetatis constare poterit. Ee  
 sane, praeterquam quod vniuerse religio tum etiamnunc adhuc  
 multorum naeuorum fuerit immunis, illa etiam praerogativa Chri-  
 stianae doctrinae in Cimbria propositae debetur, quod a multis erro-  
 ribus, qui iam tum inualuerant, libera et incorrupta manserit,  
 quum Carolus Magnus, cuius auspicio hic introducebatur, castioris  
 et purioris doctrinae assertor merito atque optimo iure nuncupari  
 possit. Quippe qui compluribus tum gliscientibus et abusionibus et er-  
 roribus se opposuit, correxitque in melius. Quam quidem Caroli  
 M. orthodoxiam non infeliciter contra Nicol. Schatenium defendit  
 Christ. Nifanius, tum in edita Francof. 1670, 8vo ostensione, quod  
 Carolus M. formaliter non fuerit Papista, tum in Carolo M. verita-  
 tis euangelicae confessore denuo exhibito Francof. 1679, 8vo quicum  
 consentit Io. Henr. Heideggerus, et Carolum M. testem veritatis defen-  
 dit. Idem argumentum tractarunt Frid. Spanhemius in Hist. Imag.  
 restitut. Tom. II. oper. recusa, et Io. Georg. Dorschaeus in collat. ad  
 Synod. Francofurt. Argentor. 1649. Conf. haec ipsa dissert. cap. I. §.  
 VII. n. b. p. 19. - §. VIII. p. 22. Cap. II. § II. p. 30. 31. 32. Quin etiam  
 quaedam pontificis doctoribus propria dogmata numquam hic in-  
 tructa esse obseruat vir summe venerandus Muhlius nostras in  
 oratione citata, nondum typis exscripta. In ea, circa finem, "Sum-  
 matim, inquit, dicam; totatum, ut Paulus Venetus et Serarius  
 vocabant, dominatum illum Hildebrandinum, exitiabiles istos ca-  
 nones numquam admisit antiqua Cimbria vel Dania, et quamuis  
 anathematis fulmine, in ipsis interdum etiam Reges missio, subin-  
 de territa, quod Christophoro I. item contigit, atrocissimo insuper, et  
 hisce terris antea inaudito Monachorum scelere perempto; audacem  
 tamen illam ferociam in eligendis deiiciendisque imperantibus, ve-  
 sanam, et priscis quoque Saxonibus, ut ex speculo Saxonico constat,  
 detestabilem tyrannidem, prauosque molitiones atque usurpationes  
 alios, in constituendis praecipue Episcopis, tot motibus funestisque  
 bellis inquinatas, reiecit semper explositque constantissime."

(d) Testatur hoc totidem verbis Rembertus in vita Anscharii cap. 21. p. 112.  
 Cuius quidem scriptoris aequalis et eiusdem aetatis, et ipsius An-  
 scharii in Archiepiscopatu successoris testimonium non est nullo ha-  
 bendum loco. Neque enim, quia de miraculis loquitur, a pontificis  
 doctoribus interpolatus censi debet, Neque solis primis ecclesiae  
 Chri-

Christianaæ saeculis doctrinam Christianam stabilitam esse miraculis tenendum est. Eadem etiam nunc designantur, quum ciuitatis DEI constituendæ necessitas, aut aliis nodus aethereo vindice dignus istud subsidium postulat; ut arcte tenuit pie defunctus Aius meus, in libro cuius index: Vom glüenden eisernen Ring, quo litteris et memoriae prodidit historiam recentem, cuius veritas nullo modo potest infirmari, de mercatore Hamburgensi, qui iusto ardore tuendaे veritatis Christianae inflammatus, primum carbonum viuorum manipulum, deinde crassum etiam anchorae annulum nuda manu e foco candenti impune extraxit, et extractum homini magna desperatione affecto, et miraculum poscenti exhibuit, eumque ad rectam viam auspicio DEI reuocauit.

(e) Petrus Saxius in MSto citato lib. I. cap. II., cuius verba in oratione mea de sacris Cimbricis insigniter emendatis p. 49. iam protuli, hic non repetenda. Ceterum, quia frequenter etiam in hac ipsa dissertatione ad huius Saxii scripta prouoco, non possum quin verbo recenteam, quae mihi de perindustrii viri, qui totam fere vitam in historia Cimbrica periractanda consumsit, variis scriptionibus innotuere. Nec enim, quod sciam, huiusmodi notitia publici iuris facta est: Petrus Saxius, Euensbulla Strandfrisius natus anno 1597. sex volumina maioris formae, eaque densiora, si a duobus discesserim, manu sua docta et diligentè impleuit. In iis est Nova totius Frisiae septentrionalis Descriptio, quam anno 1636. elucubrauit. Frisia Minor, quae ex tabulis Geographicis et chorographicis constat, addita latina, sed breviori descriptione, quam contexuit anno 1638. Descriptio Insulae Nordstrandiae, Insulae Föbrae, Amerae, Siltæ, Nardæ, Lundenbergiae, Sudergosicae, Nordengosicae, Kahrianae, Widiac vulgo Wi dinghardae. In hoc puluere litterario desudauit 1637. et vastum librum suum compluribus mappis geographicis exornauit. Isdem redundant eodem anno finiti Annales Eyderstadensium. Dithmarsiam autem anno 1640. maiori volume descripsit. Eyderostadii etiam, Euer scopi et Vtholmiae descriptionem sequenti anno 1641. oratione suae inclusit. Et exercitationes historicas, siue animaduersiones, quibus scriptorum patiorum tam editorum, quam manu exaratorum errores latine refellit, anno 1657. inchoatas d. 12. Nov. 1661. demum ad exitum perduxit. Ut alia insignia summi laboris specimina pas sim in hac dissertatione prelata mittam. conf. p. 16. et 24.

G

(f) Rem-

(f) Rembertus in vita Anscharii cap. VII. et VIII. p. 93.

(g) Rembertus l. c. cap. XI. p. 96. conf. Stapborstius l. c. cap. III. p. 19. seqq.

### S. XI.

Sed manum de tabula! Neque enim mea ratio, aut mihi propositum est, pluribus verbis prosequi, qualis progressus per agros et Slesueicenses et Holsaticos circa haec tempora fecerit religio Christiana. Sufficiat mihi primordiorum disciplinae caelestis, praecipuis Cimbriae partibus per internuntios diuinos patefactae potissimum rationem habuisse. Ex quo enim ANSCHARIVS Hamburgensis evasit Archiepiscopus, licet sacra Cimbrica omnia pericula vitare, et omnia discrimina effugere non potuerint; eadem tamen acrius vrgere, penitus inculcare, enixius adiuuare, atque altius euehere diuini verbi interpretes destiterunt numquam, et Cimbria nostra, post tot praecones sacros temporales, in serie continua nostra est doctores ordinarios, quorum curae et cogitationes in stabilienda et amplificanda ciuitate DEI laudabili consilio et felici successu euigilarunt. Faxit DEVS O. M., cuius in Cimbriam nostram immensa merita existunt, vt mente religiosissima deuotissimaque ea agnoscamus, ideoque nos totos ad verum eius cultum et disciplinam componere summa cura atque omni opera enitamur. Idem CIMBRIAM suam, et Regios Celsissimosque CIMBRIAЕ PRINCIPES, et CIMBRICA SACRA salua et illibata quam diutissime tueatur, vt quae DEO debent primordia, et DEO debent incrementa, DEO etiam firmamenta sua debeant et stabilitatem non umquam intermoritram!

### ADDENDA.

*Ad p. 9. versum ult. post verbum Diese: haben die Römischen Abgötter in Sachsenland erstmals aufgerichtet. Andere wollen die Sachsen*

*Ad p. 13. et quidem ad finem notae sub lit. b. Huc quoque pertinet commemorabilis Io. Ernesti Grabii annotatio ad hunc Irenaci locum*

*p. 46. „Sunt quidem, inquit, qui de sola Germaniae oracis Rhenum*

*Roma.*

Romanorum ditioni subiecta, haec accipi volunt, ac Euangelium<sup>u</sup>  
 Erançis, atque Saxonibus, aliquaque trans Rhenum ante Irenaeis  
 aetatem praedicatum pernegant. Ast Auctor noster ēv Γερμανίαι<sup>ee</sup>  
 numero plurali fundatas ecclesias dicens, haud obscurare indicat, in<sup>ee</sup>  
 diuersis Germaniae partibus iam tum fidem Euangelii obtinuisse.<sup>ee</sup>  
 Et Tertullianus lib. contra Iudeos cap. 7. diserte memorat Britan-<sup>ee</sup>  
 norum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmata-<sup>ee</sup>  
 rum et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et multarum<sup>ee</sup>  
 abditarum gentium,<sup>ee</sup> etc.

CLARISSIMO AC ELEGANTER DOCTO  
**CHRISTIANO KORTHOLTO,**  
 IVNIORI,  
 PHILOSOPH. ET LL. AA. CANDIDATO  
 DIGNISSIMO  
 S. ET O.  
 PRAESES  
**PHILIP. FRID. HANE.**

Quod b. m. Auus Tuus, CHRISTIANVS KORTHOLTVS,  
 Academiae huius Pro-Cancellarius quondam et Theologus pri-  
 marius, culto a se in primis historiae Ecclesiasticae studio, huic Mu-  
 sarum sedi conciliauit decus, prorsus insigne fuit, et memini, me  
 eiusdem merita et laudes non ita pridem alibi celebrasse. Quid  
 mihi metipsi, pro tuendo illo Academiae nostrae decore, consilio-  
 rum animo sedeat, tum simul exposui, horumque rationem nunc  
 quoque haut segniter urgeo. Hisce autem meis rationibus Tu,  
 Clarissime CANDIDATE, haut infeliciter accessisse mihi visus es,  
 postquam ex aliquo tempore hoc etiam saxum in primis voluere  
 coepisti. Probasti enim laudabiles Tuos in hoc instituto conatus  
 recitata superiori anno ex publica Academiae nostrae cathedra  
 oratione, de Sacris Cimbricis duobus abhinc saeculis insigniter  
 emendatis; quae mox etiam typis exscripta, multam omnino

G 2

corda-

cordatorum quorumvis plausum meruit. Nunc altero quoque publico specimine exhibito, quo Sacrorum Christianorum primordia apud Cimbros pandis, in eodem adhuc studio pergis, vestigiaque adeo premis et relegis, quae a Tuis et Academiae nostrae Maioribus quondam expressa cernimus.

Proinde cum oblato hoc altero eruditionis Tuae documento honores simul Academicos ambieris, amplissimusque Philosophorum Ordo, exantlatis pro more examinibus, Tibi eosdem iam decreuerit rite conferendos, non potui facere, quin in pagina adhuc vacua calculum meum adjicerem, quem omnino fert doctrinae, studiorumque, vitae ac morum Tuorum ratio. Hanc igitur mentem et animum, hos eruditionis Tuae thesauros iam paratos et posthac parandos, hosce denique honores, quos Ordo noster ex merito prorsus Tuо Tibi mox conferet, cum TIBI, cum NOMINI Tuо, cum PARENTI Optimo, cum PATRIAE, cum ACADEMIAE nostrae impense gratuler; gratulor tamen et MIHI, quod ad editum hunc elegantem ingenii Tui foetum, ad quem alioquin opera et labor meus accessit nullus, Susceptoris tamen vicibus me quasi fungi volueris. Quod quidem officiorum genus hoc praesto libentius, cum et muneric mei ratio illud postulet, et multi Tui similes a me optentur Academiae nostrae alumni, qui iisdem Tecum sacris litent. Age igitur, et quam inter Musas nostrates hucusque calcasti viam, eidem porro apud exteras insiste, et paribus semper passibus ambula: sisque memor Tui, sis memor Tuorum, sis demum et memor mei. Ita vale et bonis aubus vade!

Dab. III. Id. Sept. A. O. R.

MDCC XXVIII.



Hist Holzdr 115, 16